

Visual Library Portal

Digitalisierung von Drucken des 18. Jahrhunderts

**Introductio in libros canonicos Novi Testamenti, ad usum
studiosae juventutis**

Moldenhawer, Johann Heinrich Daniel

Regiomonti, 1744

urn:nbn:de:s2w-2734

JOH. HENR. DAN. MOLDENHAWERI
INTRODVCTIO
IN
LIBROS CANONICOS
NOVI
TESTAMENTI,
AD VSVM
STVDIOSÆ JVVENTVTIS.

REGIOMONTI,
Opera & Impensis JOH. HENR. HARTVNGII.
MDCCXXXIII.

JOH. HENR. VAN MOLDENH. WERI

INTRODUCTIO

IN

LIBROS CANONICOS

NOVI

TESTAMENTI.

AD 1784

STVDIOSÆ IUVENVTATIS.

A REGIONI

Opus & impensis Joh. Henr. Hartmann

AMSTELÆDAMI

SVMME REVERENDO,
AMPLISSIMO
ATQVE
DOCTISSIMO DOMINO,
DOMINO
MICHAELI ROLOFF,
S. S. THEOLOGIÆ DOCTORI,
S. R. MAJ. IN BORVSSIA A CONSILIIS
CONSISTORII, ET COLLEGII, QVOD RES
PAVPERVM BEROLINI DIRIGIT,
MEMBRO GRAVISSIMO,
ECCLESIAE ADD. NICOLAI PRÆPOSITO
ET PASTORI LONGE MERITISSIMO ET FIDELISSIMO,
EIVSDEMQUE DIOECESIOS ET GYMNASII
INSPECTORI SPECTATISSIMO,
THEOLOGO,
ET NOMINIS ET MERITORVM CELEBRITA-
TE PER CHRISTIANVM ORBEM
CLARISSIMO,

PATRONO AC FAVTORI
SVO ÆSTVMATISSIMO,
INTRODVCTIONEM HANC
IN LIBROS
NOVI TESTAMENTI
CANONICOS
EO, QVO ÆQVVM EST,
AFFECTV,
CVM VOTO ARDENTISSIMO
PERENNIS FELICITATIS
DICA'T ET ADDICIT
AVCTOR.

VIR
SUMME REVERENDE,
AMPLISSIME
ATQVE
DOCTISSIME!



*Quanta sit TVA peritia in
rebus philologicis; quanta
TVA perspicacia ad pene-
trandum in intimos recessus
veritatum, quas sistunt Libri Sacri Veteris
& Novi Testamenti; quantaque TVA soli-
citus de nucleo Sacrae Scripturae gustando,
aliisque offerendo, nemo fere est, quem
lateat. Quot quantaque autem sint TVA
merita*

merita in res Academicas, Scholasticas
& Ecclesiasticas, tum in omnibus sceptro
Borussiano subjectis, tum imprimis nostris
quoque terris; & quam sollicitus fueris
de promovenda tum eruditione, tum viva
JESU CHRISTI cognitione, in qua,
pronuntiante Servatore nostro, vita aeter-
na est sita, futura illa magna ΤΗΣ ΑΠΟΚΑΛΥΨΕΟΣ
dies unicuique ob oculos ponet; quapro-
pter ab enarratione illorum abstineo, præ-
cipue cum persuasum habeam, quod, si in
laudes **TVAS** excurrerem, molestiam
TIBI creaturus essem. Cumque præterea
favor **TVVS** in me existat maximus, ani-
mumque meum occupatum teneat, gratam
illius memoriam & publice testari, non
potui, quin **TVO, VIR SVMME**
REVERENDE! Nomini, hanc alte-
ram Introductionis in Libros Sacros Ve-
teris & Novi Testamenti partem inscri-
berem. Quemadmodum autem rationes
gra-

gravissimæ me adegerunt, has lucubrationes TIBI dicare, ita quoque spero, fore, ut easdem serena fronte suscipias. Nam pandunt viam ad recte intelligenda ea, quæ Supremum Numen Evangelistis & Apostolis inspiravit, per eosdem promulgavit, & mirabiliter conservavit, quibusque delectaris; imo a me consignatæ sunt in usum studiosæ juventutis, quam TIBI eo magis curæ cordique esse, certum exploratumque habeo, quo magis salus quoque aliorum innumerorum inde dependet, quando illa animum veritatibus revelatis & cælestibus inde a primis Academiæ annis probe imbutum accipit. Nullus dubito, TE illis perlectis multa addenda & emendanda deprehensurum esse, quæ si mecum communicare volueris, novo beneficio TIBI me obligaturus esses. Deum vero, cui servis, quemque propitium habes, ardentissimis precibus oro, ut TE in seram usque ætatem incolu-

mem

*mem sospitemque conservet, in dies uberiori
gratiæ suæ mensura TE impleat, mentem in
Jesum Christum constanter defixam, firmitudinemque animi, impedimentis & calamitatibus frangi nesciam, TIBI nunquam non conservet, conatusque TVOS, gloriam Jesu Christi hominumque salutem æternam promovendam spirantes, secundet, ut aliquando opima præda onustus coram Jesu Christo, TVIS deliciis, comparere possis. Id quod sincero animo vovet*

**SVMME REVERENDI
NOMINIS TVI**

**Dabam REGIOMONTI,
Sext. Non. Oct. MDCCXXXIII.**

*Cultor & amator
sincerus*

Job. Henr. Dan. Moldenbawer.

PARS II.

DE
LIBRIS CANONICIS
NOVI TESTAMENTI.



DEFINITIO. *Libri Canonici N. T.* sunt illi libri, qui post Christum natum a viris θεοπνευστοῖς consignati, & ad perpetuam fidei & morum normam destinati, ac ecclesie traditi sunt.

II. TITVLVS LIBRORVM CANONICORVM N. T. Inscribitur complexus horum librorum Η ΚΑΙΝΗ ΔΙΑΘΗΚΗ, Novum Testamentum, seu foedus aut pactum, & probabiliter a Patribus post tempora apostolorum, ex 2 Cor. III. 6. & 14. desumptus est. Illum jam seculo II. in usu fuisse, ex CLEMENTIS Alexandrini Pædag. L. I. p. m. III constat.

III. RATIO APPELLATIONIS. Vocantur *libri canonici*, quia *fidei morumque* nostrorum immotum *canonem s. regulam* constituunt: & *Novum Testamentum*, quia illo tempore litteris exarati sunt, quo *nova jam dispositio s. œconomia divina* in ecclesia Dei viguit.

IV. INDEX LIBRORVM CANONICORVM NOVI TESTAMENTI. Sunt nobis libri canonici N. T. *Evangelium Matthæi, Marci, Lucæ*

Lucæ & Johannis, Acta Apostolorum, Epistolæ Pauli ad Romanos, I. & II. ad Corinthios, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Colossenses I. & II. ad Thessalonicenses I. & II. ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem & ad Ebræos, Epistola Jacobi, I. & II. Petri, I. II. & III. Johannis, & Judæ, ac Apocalypsis Johannis.

Quod autem scripta hæc ad unum omnia a primæva ecclesia Christiana pro canonicis habita sint, extestimonio illorum Patrum, qui seculis prioribus floruerunt, & quorum auctoritas magna est, patet. Nam ORIGENES, ubi publicum ecclesiæ istius ætatis judicium sequitur *homil. VII. in Jos. p. m. 333.* ATHANASIVS *in genuino epistolæ XXXIX. fragmento*, quod exstat in *opp. ejus p. m. 38.* HIERONYMVS *in epistola ad Paulinum*, quæ legitur in *opp. ejus T. III. p. m. 7.* AVGVSTINVS *L. II. de doctrina Christiana c. VIII. T. III. opp. p. m. 26.* RVFINVS *expos. in Symb. Apost. quæ habetur in Opp. HIERONYMI T. IV. p. m. 76.* ATHANASIVS *junior in Syn. S. Scripturæ*, quæ inserta est *opp. Athanasii senioris p. m. 59.* Patres concilii *Carthaginensis III. can. 47. vide CARANZÆ summam conciliorum p. m. 165.* eosdem libros ceu genuinos recensent, qui & hodie a nobis pro talibus agnoscuntur. Idem facit AMPHILOCHIVS *in Lambis ad Seleucum*, nisi quod refert, auctoritatem canonicam Apocalypseos a plerisque in dubium vocari, in *opp. p. m. 135.*

Sed, inquit, apocalypsin ab Johanne traditam

Quidam approbant, plerique notham pronunciant.

Et GREGORIVS Nazianzenus *T. II. p. m. 98.* CYRILLVS Hierosolymitanus *Catech IV. p. m. 38.* Patresque concilii *Laodicensi can. ult. vide CARANZÆ summam conciliorum p. m. 140.* nihil de canone nostro omittunt præter Apocalypsin Johannis.

De

De epistolæ quidem ad *Ebræos*, *Jacobi*, *posterioris Petri*, *secundæ & tertiæ Johannis*, *Judæ & apocalypseos Johannis* origine divina ad tempus a quibusdam dubitatum est, vid. EVSEBIVM H. E. L. II. c. XXIII. L. III. c. III. & XXV. at non seculo II. sed III. & IV. Nam ex seculo II. ne quidem unus adduci potest, qui auctoritatem canonicam horum librorum in dubium vocaverit, immo seculo isto auctoritas canonica illorum scriptorum agnita est a CLEMENTE Alexandrino, teste EVSEBIO H. E. L. VI. c. XIV. Epistolam ad *Ebræos* pro canonica habuerunt CLEMENS Romanus in *epist. ad Corinthios*, ex editione Ittigii p. 7. 19. 21. 33. 63. 73. & IRENÆVS teste EVSEBIO H. E. L. V. c. XXVI. & *Apocalypsin* PAPIAS, (teste ANDREA Cæsareensi in *præfatione ad commentarium super Apocalypsin*.) JUSTINVS, MELITO, THEOPHILVS, IRENÆVS & APOLLONIVS, teste EVSEBIO H. E. L. IV. c. XVIII. c. XXVI. c. XXIV. L. V. c. VIII. c. XVIII.

Notatu quoque dignum est testimonium Tertulliani, Origenis, Hieronymi & Theodreti; nam TERTVLLIANVS L. IV. *contra Marcionem* c. V. *Habemus*, inquit, *Johannis alumnas ecclesias; nam etsi apocalypsin ejus Marcion respuat, ordo tamen episcoporum ad originem, i. e. tempora Johannis recensitus, in Johannem stabit auctorem.* ORIGENES apud EVSEBIVM H. E. L. VI. c. XXV. de epistola ad Hebræos verba faciens, *Quæ ecclesia*, ait, *hanc epistolam pro Paulina habet, eo nomine laudetur, neque enim temere MAJORES eam Pauli esse tradiderunt.* Et HIERONYMVVS in epistola ad Dardanum, quæ exstat T. III. p. m. 46. *Illud*, inquit, *nostris dicendum est: hanc epistolam, quæ inscribitur ad Hebræos, non solum ab ecclesiis Orientis, sed & ab omnibus retro ecclesiasticis*

sticis græci sermonis scriptoribus, quasi Pauli apostoli suscipi. - - Quodsi eam latinorum consuetudo non recipit inter scripturas canonicas, nec græcorum quidem ecclesiæ apocalypsin Iohannis eadem libertate suscipiunt, & tamen nos utraque suscipimus, nequaquam hujus temporis consuetudinem, sed veterum scriptorum auctoritatem sequentes, qui plerumque utriusque abutuntur testimoniis, non ut interdum de apocryphis facere solent. Et catalogo scriptorum ecclesiast. T. I. Opp. p. m. 172. Epistola Judæ auctoritatem vetustate jam & usu meruit. Ac THEODORETUS T. II. opp. p. 178. Nihil, inquit, faciunt admirandum, qui morbo Arianico laborant, si adversum literas apostolicas furiant, & epistolam ad Hebræos a reliquis separent, & eam adulterinam appellant. Oportebat autem ipsos, & si nihil aliud, TEMPORIS quidem DIVINITATEM revereri, quo hanc epistolam in ecclesiis perpetuo legerunt alumni veritatis; ex quo enim literarum apostolicarum fuerunt ecclesiæ participes, ex illo etiam epistolæ ad Ebræos utilitatem percipiunt. Quum enim non possent resistere iis, quæ de unigeniti divinitate aperte dicta fuerant, ausi sunt totam epistolam ejicere.

Ex quibus testimoniis liquet, quænam sententia Patribus seculi II. inhæserit. Postea autem de auctoritate canonica horum librorum dubitatio exorta est, & quidem (1) quia nonnulli illorum a paucis tantum allegati fuerunt, quod sine dubio inde accidit, quia communicatio illorum ferius facta est; (2) quia quidam Patrum procul abfuerunt ab illis locis, in quibus *αποκρυφα* asservata sunt; (3) quia quibusdam non statim innotuit, quod vere a viris *θεοπνευστοις* profecti sint; (4) quia nonnulli putarunt, quosdam illorum librorum favore hæresibus, tunc temporis disseminatis, & contradicere

tradidere aliis libris canonicis. Verosimile quoque est, (5) Marcionitarum hæresin occasionem huic dubitationi dedisse. Nam ex TERTVLLIANI libro V. adversus Marc. & ex EPIPHANII *hæres.* XLII. L. I. T. III. p. m. 309. & 310. liquet, *Marcionem* ejusque discipulos *epistolam* Pauli ad *Ebræos*, *epistolas catholicas* & *apocalypsin* Johannis rejecisse.

Quemadmodum vero nunquam in ecclesia viri, hos libros pro inspiratis a Deo habentes, defuerunt, vide EVSEBII H. E. L. III. c. XXV. ita quoque rationibus dubitandi excussis, *universali consensu omnes in numerum librorum a Deo inspiratorum* relati sunt. Hæc autem quorundam Patrum dubitatio argumento est certissimo, quam solliciti fuerint priscae ecclesiae Christianae doctores, ne spurii libri accenserentur genuinis, sive vere canonicis, sed canon N. T. illibatus servaretur.

V. VERITAS HISTORIÆ, QUÆ IN HIS LIBRIS DESCRIBITVR. Veram hanc esse historiam, nemo sanæ mentis negabit. Nam (1) hostes acerrimi Christianæ religionis, & *Judæi*, qui traditiones maiorum suorum summa cura conservarunt, & sic dicti *Ethnici*, qui seculis prioribus vixerunt, testantur, JESVM tempore Tiberii, Romanorum imperatoris, vixisse, multa miracula patrasse, in Judæa doctrinam suam proposuisse, discipulos multos habuisse, se Messiam esse, perhibuisse, & Pontio Pilato procuratoris munus in Judæa gerente, cruci affixum, & vita privatum esse. (2) Libri hi consignati & in vulgus editi sunt, viventibus adhuc illis, quorum tempore historia, quæ in his libris narratur, contigisse perhibetur, & nemo, illam falsam esse, tunc testatus est. (3) Refertur hæc historia a *viris summa fide dignis*,
O 3 qui

qui aut testes oculati fuerunt, aut ea, quæ scripserunt, a testibus oculatis & fide dignis acceperunt, & in quos ne suspicio quidem cadit, quod aliis imponere voluerint; nam nullum honorem, nullas divitias, nulla vitæ hujus commoda alia, neque in futuro seculo præmia ex mendacio exspectare poterant.

(4) A *variis* quidem, & qui *diversis locis* degerunt, historia hæc litteris relata est, attamen nullus illorum alteri *contradicit*, sed amice inter se conspirant; quæ unus narrat, alter quoque refert.

(5) Apostoli alique hanc historiam in Judæa & toto terrarum orbe publice prædicarunt, & omnes circumstantiæ loquuntur, quod *vera* dixerint, nam non *lucris & honoris* causa docuerunt, 1 Cor. IX. 14. 15. 18. III. 13. 1 Theff. II. 5-8. sed manibus victum quærentes, 1 Theff. II. 9. *famem nihilominus & sitim, frigus & nuditatem*, 2 Cor. XI. 17. *contemptum & ignominiam*, 1 Cor. IV. 12. 13. *divexationes & carceres*, 2 Cor. VI. 5. Act. XII. 3. *vincula*, Eph. III. 13. *vulnera*, Act. V. 40. 2 Cor. XI. 25. & *mortem violentam*, Act. VII. 56. XII. 2. 2 Tim. IV. 6. tolerarunt, & quidem ob doctrinam, quam prædicarunt. (6) Innumeri omnis *ætatis, sexus & conditionis, vitæque integri homines* huic historiæ fidem habuerunt, & pro illius *veritate* summa cum constantia *intensissimos cruciatus ipsamque mortem* sustinuerunt. Vera est illa historia, quæ a nullo mortalium negari potest, nisi indubiis veritatibus s. principiis sanæ rationis contradicere velit: & talem esse illam, quæ in his libris describitur, ex dictis constat.

VI. DIVINA ORIGO, & inde profluens VERITAS DOCTRINÆ quæ in his libris traditur. Sicuti historia, quæ in his libris narratur, vera est, ita quoque doctrina, quam sistunt, a Deo ortum trahit, proptereaque vera est.

Nam

Nam (1) omnibus fulget *characteribus divinæ revelationis*, qui P. I. Sect. I. Num. III. p. 2. enumerati sunt. (2) Christus testatus est, *suam doctrinam esse a Deo*, Joh. XII. 49. & Christum vera dixisse, extra controversiæ aleam positum est; nam in hujus rei fidem certissimam multa & maxima patravit *miracula*, & *futura contingentia* prædixit. Matth. XXIII. 38. XXIV. 2. Quis vero ignorat, prædictionem futurorum contingentium, & patrationem miraculorum Deum agnoscere auctorem, & Deum non mendacia, sed *veritatem* confirmare? imo Christus vere mortuus, triduo post in vitam rediit, hancque sui resuscitationem, ante mortem suam, signum constituit, suam doctrinam esse divinam. Matth. XVI. 1-4. (3) Qui hos libros consignarunt, testati sunt, se omnia a Deo accepisse. Act. XV. 28. Rom. XV. 18. 19. 1 Cor. XI. 23. 1 Theff. II. 13. coll. Joh. XIV. 26. XVI. 13. conf. N. V. (4) Innumeri omnis *ætatis & conditionis* homines pro divinitate hujus doctrinæ, ex interno Spiritus Sancti testimonio convicti, *cruciatus acerbissimos & mortem* incredibili alacritate subierunt. (5) *Supernaturali* vi gaudet, homines cæcos illuminandi, mortuos vivos reddendi &c. Joh. VI. 63-68. 1 Petr. I. 23. 1 Cor. I. & II. Rom. I. 16.

VII. ΘΕΟΠΝΕΥΣΤΙΑ LIBRORVM N. T. Hos libros *immediata inspiratione* conscriptos esse, in aprico est. Nam (1) per unctionem illam solemnem Pentecostes festo factam, apostolis *θεοπνευσια* collata est, & quamvis MARCVS & LVCAS in numerum apostolorum non referendi sint, utriusque tamen historia divinum nacta est testimonium, Marci nimirum a Petro, & Lucæ a Paulo, quapropter etiam a quibusdam veterum Evangelium Marci Evangelium Petri, & Evangelium Lucæ

Evangelium Pauli appellatum est. vide TERTVL-
 LIANVM L. IV. adversus Marcionem c. V. &
 HIERONYMI catal. script. eccl. T. I. p. m. 169.
 Conf. Membr. II. N. II. (2) Scriptores testantur,
 se a Spiritu Sancto actos esse, Act. XV. 28. Rom.
 XV. 18. 1 Theff. II. 13. iique ipsi variis miraculis
 clari exstiterunt; at Deus Sanctissimus in favorem
 hominum, mendacia proferentium, miracula non
 patrabit. (3) Illi, qui seculis prioribus vixerunt,
 hos libros summa cum reverentia ac fide recepe-
 runt, receptosque profecuti sunt, & illos cum
 libris V. T. in rebus fidei & vitæ pro norma unica
 adhibuerunt, ceu ex historia ecclesiastica abunde
 constat. (4) Scripta V. T. *θεοπνευστα* esse, P. I. Sect. I.
 N. III. p. 2. & 3. evictum dedimus, cum autem teste
 Paulo, 2 Cor. III. 6-II. N. T. *διακονια* gloria mul-
 tum præcellat *διακονια* V. T. & in apostolis longe
 major gratiæ divinæ mensura, & longe majora
 Spiritus Sancti fuerint dona, quam in prophetis
 V. T. sequitur inde certissime, scripta apostolorum
 N. T. eo magis ceu divina & a Deo inspirata agno-
 scenda esse.

VIII. LINGVA, QVA PRIMITVS SCRIPTI
 SVNT LIBRI N. T. Illa non est hebraica
 sed *græca*; usi autem sunt scriptores librorum N.
 T. hac, non illa, quia tunc temporis usus vulgaris
 lingvæ hebraicæ penitus, & syro-chaldaicæ extra
 Judæam ac Babyloniam perierat, & lingua græca
 non gentilibus modo, sed Judæis etiam, immo
 omnibus fere orientalibus in usu, & quasi verna-
 cula, & propterea accommodatiôr fuit, ad latius
 propagandum regnum Christi, ad cuius commu-
 nionem non solum Israelitæ, sed & omnes alii
 populi vocandi erant. CICERO in *Oratione pro*
Archia: *græca* inquit, *in omnibus fere gentibus te-*
guntur

guntur, latina suis finibus, exiguis sane, continentur. Refertur quidem Act. XXI 40. & XXII. 1. Paulum hebraica, h. e. syro-chaldaica dialecto locutum esse; quod vero ideo factum esse patet, quoniam Judæos Palæstinos alloquebatur, qui hac dialecto vulgo tunc usi sunt. Sicuti vero lingua græca scriptorum N. T. a barbarismis & solæcismis pura, ita quoque ebraismis quibusdam, sive modis loquendi hebraicis aut idiotismis linguarum & populorum orientalium conspersa est. Nam barbarismus est expressio vocis vitiosa, ex ignorantia commissa, & solæcismus est constructio vitiosa vocabulorum, ex incitia fluens; quum autem θεοπνευσία hanc ignorantiam excludat, & barbarismi & solæcismi omnino removendi sunt. Hebraismis vero textus N. T. tinctus est, quia spiritus S. cuilibet viro sancto permisit, ut suo dicendi genere uteretur, & pro naturæ dotibus, ingenique viribus scriberet; jam vero scriptoribus sacris lingua syro-chaldaica, quæ hebraicæ affinis est, vernacula fuit, & illi nihilominus græce scribere debebant. Hic certe non possumus, quin sapientiam divinam admiremur & veneremur, nam hi hebraismi concentum utriusque testamenti in ipsis etiam verbis illustriorem reddunt. Sunt, qui linguam græcam, quæ usi sunt scriptores sacri, hellenisticam appellant; & sane, si hellenisticæ lingvæ nomine nihil aliud intelligatur, quam lingua græca, ebraismis tincta, vix quicquam obstaret, quo minus dictio N. T. hoc sensu hellenistica dici posset. Sunt quoque, qui hebraismos tantum non ubivis venantur; sed plerosque viri docti, allatis græcorum scriptorum exemplis, dudum eliminarunt, ita ut non adeo multi supersint.

IX. AVTOGRAPHIA. Illa quidem tempore **TERTULLIANI** adhuc exstiterunt, nam **L. de præscr. c. 36. percurrere**, inquit, *ecclesias apostolicas, apud quas ipsæ adhuc cathedræ apostolorum suis locis præsentur, apud quas authenticæ literæ eorum recitantur, sonantes vocem, & representantes faciem uniuscujusque*; at postea per injuriam temporum omnia interierunt, quo Deus sine dubio superstitioni & idololatriæ biblicæ occurrere voluit. **VENETI** quidem glorientur, autographum **MARCI** apud se servari; at, **MONTFAUCONIO** teste, literæ hujus exemplaris sunt latinæ, conf. **P. II. S. I. Membr. II. N. IV.** Imo fabulæ istius jam dudum viros eruditos inter ipsos Pontificios puduit.

X. INTEGRITAS LIBRORVM N. T. Quod hi libri a factis corruptionibus universalibus immunes ad nos pervenerint, in dubium vocari nequit. Nam (1) dati sunt a Deo in normam credendorum & agendorum, & fieri nequit, ut Deus scopo suo excidat. (2) τῶν Αὐτογράφων in primitiva ecclesia facta est communicatio, **Col. IV. 16.** & Christianæ ecclesiæ doctores magnam in asservando & vindicando textu græco authentico diligentiam adhibuerunt, vid. **N. IX.** (3) Libri **N. T.** jam seculo primo sæpius descripti, inde in linguam syriacam, & deinde in alias lingvas translati sunt, quæ versiones ex asse conveniunt cum textu originali, qui nostra attigit tempora; & Tertulliani tempore *αὐτογραφα* ipsa in ecclesiis asservata sunt. (4) Ex singulis Patrum scriptis loca allegari possunt, quæ exacte conveniunt cum textu illo, qui in nostris est manibus, ac **ORIGENES** & **HIERONYMVS** aliique commentaria ediderunt, textus autem, quem explicarunt, idem est ille, quem nos habemus. (5) Si facta esset

cor-

corruptio universalis, illa vel *casu fortuito*, vel *data opera* facta esset. Prius nemo asseret, nam si iisdem in locis & eadem ratione omnia apographa corrupta essent, versionesque tot diversarum linguarum, id sane stupendum miraculum esset; quod autem ad *posterius* attinet, si corruptio universalis accidisset, illa facta esset vel a *manifestis hostibus*, vel ab *hæreticis*, vel ab *orthodoxis*. At manifesti *hostes* religionis Christianæ & *hæretici* universalem corruptionem libris N. T. inferre non potuerunt; nam innumera exemplaria in manibus Christianæ religioni addictorum, & per totum terrarum orbem dispersorum, fuerunt, & propterea exemplaria ad unum omnia conquirere non potuerunt; immo libri N. T. publice prælecti sunt, & hæretici non inter se consenserunt, sed in diversas abierunt partes, & si itaque una illarum textum corrumpere voluisset, reliquæ restitissent. Nam qui locus uni repugnavit, alteri favere putatus est, & quis ignorat, libros N. T. omnia illa arma tradere, quibus quælibet hæresis debellari possit? Quod autem sic dicti *orthodoxi* libros N. T. non corruptos reddiderint, quilibet facile concedet, nam alias orthodoxi non fuissent; & profecto, si tantum facinus tentassent, hostes, quos religio Christiana statim ab initio habuit, id neutiquam tacuissent, siquidem sic uno quasi ictu Christianam religionem prosternere potuissent; imo, jam ab initio nascentis ecclesiæ, diversæ exstiterunt sectæ, quarum una alteri invigilavit, & corruptionem universalem impedivit. Dantur quidem *variantes lectiones*, cum autem illæ potissimum ex incuria scribarum ortum trahant, nulli articulo fidei fraudi sint, seu analogiam fidei non turbent, imo plurimæ illarum sensum parum variant, saltim contrarium nunquam producant, & vera

vera lectio adhuc supersit, illaque ope regularum hermenevticarum & criticarum, aliorumque subsidiorum dignosci queat, minime textum originale authenticum corruptionis arguunt; permisit vero Deus illas, ne deesset hominibus occasio, assidue scrutandi libros hos divinos, illosque a scoriis & paleis purgandi.

XI. CONSTITVTIO CANONIS, s. catalogi librorum canonicorum N. T. Incertum quidem est, a quonam librorum N. T. collectio in unum volumen instituta sit, illam vero jam ante seculum III. factam fuisse, testimonia Patrum, qui seculis prioribus floruerunt, evincunt. Nam IGNATIUS, qui seculo II. vixit, *in epist. ad Philadelphenos*, quæ exstat in Bibliotheca Patrum Apostolicorum græco-latina, ab ITTIGIO edita §. V. p. m. 61. προσφυγων inquit, τω ευαγγελιω, ως σαρκι Ιησϋ, και τois αποστολοις ως πρεσβυτεριω εκκλησιαις. και τϋς προφητας δε αγαπωμεν, *Confugiens ad EVANGELIVM, tanquam ad carnem Iesu, & ad APOSTOLOS, velut ad ecclesie presbyterium, sed & prophetas diligamus.* Circa quæ verba observandum est, Ignatium per προφητας synechdochice canonem V. T. per ευαγγελιον codicem evangelicum, & per αποστολϋς codicem epistolicum intelligere. vid. N. XVIII. Et quod Ignatio ευαγγελιον sit codex evangelicus, satis constat ex epistola, quam dedit ad Smyrnaeos, nam §. VII. p. m. 8. προσεχειν δε, inquit, τois προφηταις, εξαιρητως δε τω ευαγγελιω. κ. γ. λ. *Decet attendere prophetis, præcipue autem evangelio, in quo passio nobis ostensa, & resurrectio perfecta est.* Et in epistola ad Philadelphenos §. VIII. p. m. 65. *Audivi quosdam dicentes: nisi invenero in archivis, evan-*

evangelio non credo. Et dicente me ipsis: scriptum est, responderunt mihi: præjacet. §. IX. Ipse est janua Patris, per quam ingrediuntur Abrahamus, & Isaacus, & Jacobus, & prophetæ, & apostoli & ecclesia. Omnia hæc ad unitatem Dei. Eximium autem quiddam habet evangelium; nimirum adventum Salvatoris Domini nostri Jesu Christi, passionem ipsius & resurrectionem.

ORIGENES, qui sub initium seculi III. floruit, eosdem libros ceu genuinos recenset, qui & hodie a nobis pro talibus habentur Vid. N. IV. p. 190.

EPIPHANIVS, qui sec. IV. episcopi officio functus est, hæres. LXI. L. I. T. III. p. m. 506. de apostolicis s. apotactis verba faciens: Illi, inquit, actis Andreæ & Thomæ potissimum nituntur, omnino alieni a CANONE ecclesiastico. Πανταπασιν αλλοθριου Ἰσ κανονος Ἰσ εκκλησιασικησ υπαρχουτες.

ATHANASIVS junior in synopsi. S. S. p. m. 55. Omnis nostra ait, qui Christiani sumus, scriptura divinitus inspirata, libros non habet infinitos, sed definitos, & certo CANONE deprehensos.

Et RVFINVS in expos. Symb. Apost. quæ exstat in opp. HIERONYMI T. IV. enumeratis libris N. T. canonicis p. m. 76. Hæc sunt, inquit, quæ PATRES intra CANONEM concluderunt, & ex quibus fidei nostræ assertiones constare voluerunt.

Sunt, qui Johanni hanc canonis constitutionem adsignant; quamvis autem nulli dubitemus, quin Johannes canonem evangelicum constituerit, vid. EVSEBII H. E. L. III. c. XXIV. & P. II. Sect. I. Cap. I. Membr. IV. N. V. tamen non verosimile nobis videtur, ipsi constitutionem totius canonis tribuendam esse. Nam alias posterioribus seculis de libris quibusdam dubitatio non exorta fuisset, & Patres sine dubio lite mota ad testimonium Johannis, constitutumque ab illo canonem provocassent.

castent. Probabiliter itaque constitutio totius canonis facta est post Johannis obitum, sub initium seculi secundi, intercedente communicatione librorum, qua sensim illi libri ab ecclesia Christiana pro *θεοπνευστοις* recepti sunt, qui initio ab iis particularibus ecclesiis, ad quas immediate dati, pro talibus agniti fuerunt.

XII. DISTINCTIO TEXTVS IN SECTIONS.

Autographa evangelistarum & apostolorum hac distinctione caruisse, conficiunt Manuscripta antiqua. Quum autem frequens horum librorum, sive dictorum ex illis desumptorum, allegatio, aliquod distinctionis subsidium requisivit, veteres, imitati Judæos, libros novi testamenti distinxerunt in *αναγνωσεις*, lectiones, *τιτλος*, titulos, *κεφαλαια*, capitula, & *στιχος*, versus.

Lectiones fuerunt sectiones omnibus reliquis longiores, & recitatae sunt in conventibus publicis. Primus, qui illas collegit & adhibuit, fuit, quantum adhuc constat, EVTHALIVS, diaconus Alexandrinus, ceu patet ex præfatione editionis illius, quam anno CCCCLVIII. adornavit, & constitit ep. ad Rom. lect. V. & tot fuere in ep. I. ad Cor. Evthalius autem secutus est ANDREAS Cæsareæ Cappadocum episcopus, & apocalypsin in lectiones s. *λογος* XXIV. divisit.

Tituli fuerunt breviores lectionibus, & longiores capitulis, & in illos divisæ sunt epistolæ probabiliter a THEODORO Mopsuesteno, vid. MILLII *proleg. in novum testamentum.* p. m. 86. & 87. habuitque epistola ad Romanos titulos XIX. Quod autem evangelia concernit, in evangelio Matthæi LXVIII. Marci XLVIII. Lucæ LXXXIII. & Johannis XVIII. tituli erant.

Capitula fuerunt sectiones, titulis minores, & primo

mo ab AMMONIO, teste HIERONYMO in *cat. script. eccl.* T. I. Opp. p. m. 185. adhibita sunt. Dispersit autem evangelium Matthæi in CCCLV. Marci in CCCXXVI. Lucæ in CCCXLII aut secundum Svidam in CCCXLVIII. & Johannis in CCXXXII. capitula. Ammonium secutus est EVTHALIVS, & acta apostolorum, ac epistolas sic dictas catholicas in capitula digessit. Apocalypsin autem ANDREAS divisit in capitula, & quidem in LXXII.

Versus fuerunt sectiones minimæ, in quas EVTHALIVS acta & epistolas distinxit, & numerati sunt in epistola ad Romanos versus DCCCCXX. & in epist. ad Corinth. DCCCLXX. qui numeri vero in libris antiquis variant. Apocalypsis autem & evangelia ante seculi VII. initium *στυχηως* non sunt exarata, & habet evangelium Matthæi, quod juxta usitatam modernam distinctionem versibus MLXXI. constat, in codicibus quibusdam MD. in aliis MDLX. in aliis MDC. & in codice MSS. Biblioth. Carolinæ MDCC.

Hanc antiquam distinctionem alia secuta est, qua libri N. T. dispescuntur in capita & versus, quæ distinctio adhuc viget.

Divisio in *capita* adscribitur a quibusdam Cardinali HVGONI de SANCTO CARO, ab aliis vero LANGTHONO, vid. P. I. S. I. Num. XI. p. 15. & distinctio moderna in *versus* auctorem habet ROBERTVM STEPHANVM, qui illam instituit, Parisiis Lugdunum equo contendens, teste ejus filio HENRICO in præfatione, harmonico vocum N. T. indici, vulgo concordantiæ, præfixa. Absit itaque, ut sectionibus hisce divinam tribuamus auctoritatem, & deplorandum est, quod sæpe divisa sint, quæ arctissime cohærent, & conjuncta sint, quæ minime cohærent; quapropter textus

N. T.

N. T. non carptim legendus est per capita & versus, sed quasi una periodus; lectio non aliter ac sede materiaram terminanda est.

XIII. INTERPUNCTIO TEXTVS N. T.

Qua nunc majori ex parte utimur, circiter ad sec. VII. referenda est, nam in codicibus, siquidem ante hoc seculum exaratis, non reperitur. Negari nequit, interpunctionum signa apostolorum jam tempore in scholis Græcorum nota fuisse, siquidem illorum origo ad *Aristophanem* Grammaticum, qui tempore *Ptolomæi Epiphaniis* vixit, refertur; at ante seculum VII. in libris exarandis interpunctionem, uti nunc obtinet, adhibitam esse, demonstrari nequit. Quum itaque nescii simus, ubi & quænam interpunctio a viris θεοπνευσοις proficiatur; & hæc, qua utimur, ab aliis addita sit; sequitur, illam, nexu idearum sic requirente, deferi posse. Sicuti autem interpunctio hodierna N. T. divinæ non est originis, ita quoque non est probabile, *accentus* a viris θεοπνευσοις esse adhibitos, siquidem usus illorum post apostolorum tempora demum est introductus, & primum solis grammaticis fuit relictus.

XIV. INSCRIPTIONES EXTRA CONTEXTVM POSITÆ.

Illæ a scriptoribus sacris neutiquam originem ducunt, nam inscriptiones, quæ evangelis & actis præfixæ sunt, non sunt in omnibus codicibus eadem, vid. P. II. Sect. I. Cap. I. Membr. I. & Cap. II. & si inscriptiones epistolarum a scriptoribus sacris additæ essent, tunc sæpe duplicem inscriptionem, & quidem sine ulla ratione posuissent, & quis credet, Johannem epistolas suas, ad diversos missas, inscripsisse: *Ιωαννης ἰδ Αποστολας επισολη πρωτη, δευτερα, τριτη*, & Petrum: *Πετρος ἰδ Αποστολας επισολη πρωτη, δευτερα*? additæ itaque sunt hæc inscri-

scriptiones ab aliis, ut unus liber ab altero distingueretur, & quod antiquissimæ sint, patet ex **TERVLLIANI** L. II. *adversus Marcionem* c. XXVII & L. IV. c. II. & **JVSTINI** *Apologia* p. m. 98.

XV. SUBSCRIPTIONES EXTRA CONTEXTVM POSITÆ. Quod illæ a viris θεοπνευστοῖς minime profectæ sint, variæ postulant rationes, nam (1) quædam illarum citra dubitationem falsæ sunt, e.g. Subscriptiones epp. I. & II. ad Theff. vid P. II. Sect. II. Cap. I. Membr. VIII. & IX. (2) Nonnulli codices antiqui optimæque notæ illis destituti sunt, alii quædam verba non habent, alii nonnulla mutant, & (3) quæ epistolæ priori ad Timotheum subjecta est, prodit auctorem ætati Constantini M. vel æqualem, vel inferiorem, nam demum sub Constantino M. Phrygia major in *primam* s. *pacatianam*, & *secundam* s. *salutarem* dividi cœpit. Ex quo simul conficitur, has subscriptiones Sec. IV. s. V. adjectas esse. Secundum **MILLIVM** *proleg.* in N. T. p. 90. a auctor illarum est *Euthalius*, qui Paulinarum epistolarum & aliarum quarundam N. T. partium editionem adornavit. Certum est, quod is, qui illas addidit, vel non rite instructus, vel non satis attentus fuerit.

XVI. SCOPVS LIBRORVM N. T. Ille est (1) ut œconomia nova manifestaretur; (2) ut bona per mortem Jesu Christi parta hominibus publicarentur; & (3) ut media, bona illa consequendi, contritio nimirum & fides, & ex illa profluens nova obedientia, nova quasi forma induta, hominibus nota redderentur.

XVII. PRÆROGATIVA PRÆ LIBRIS V. T. Illa est *magna*, nam sistunt nobis dicta & facta Jesu Christi, & sunt libris V. T. clariores, quapropter consultum est, ut libros N. T. prius cognitos atque perspectos habeamus, quippe qui

clavis V. T. sunt, aut solis instar, a quo V. T. illustratur. Lectio autem librorum V. T. neutiquam est negligenda, nam in illis æque ac in libris N. T. verbum Dei & fœdus evangelicum exstat, & libri V. T. in libris N. T. creberrime allegantur, atque hi ad illos respiciunt. *In veteri testamento novum latet, & in novo vetus patet.*

XVIII. ALLEGATIO DICTORVM V. T. IN N. T. Quod dicta V. T. creberrime in N. T. allegantur, nemo est, qui nesciat; *modus* autem, quo scriptores N. T. in dictis V. T. allegandis utuntur, est diversus. Nam (1) non semper singula verba, sed nonnunquam *sensum* tantum attendunt, e. g. Matth. II. 6. (2) Dicta V. T. sæpissime allegantur *ex versione* Ἰων LXX. *Interpretum*, quia illa tunc temporis in omnium fere manibus fuit. (3) Allegatio quandoque fit *sensu typico* in iis, quæ Christum ejusque ecclesiam respiciunt, e. g. Joh. XIX. 36. Eph. V. 31. 32. & per accommodationem analogicam vel *metonymico* aut *synecdochico* sensu, e. g. Matth. VIII. 17. (4) Ex duobus prophetarum testimoniis unum interdum conflare solent, e. g. Matth. XXI. 4. 5. Act. I. 20. Eph. V. 14.

XIX. DIVISIO LIBRORVM CANONICORVM N. T. Dividuntur hi libri

I. In *historicos*, qui tradunt res gestas

1) *CHRISTI*, quo pertinent *IV. Evangelia*, Matthæi nimirum, Marci, Lucæ & Johannis, quæ in unum volumen congesta *Ευαγγελιον* & *Ευαγγελίων γραφή* appellata sunt.

2) *Apostolorum*, & præcipue Pauli ac Petri, quod faciunt *Acta apostolorum*.

II. In *dogmaticos*, qui sunt *epistolæ* ab apostolis scriptæ, quæ in unum volumen compactæ *Αποστολικον* dictæ sunt. Dantur autem, quod ad epistolas attinet

i.) *Epi-*

- 1) *Epistolæ XIV. a Paulo scriptæ, &*
 2) *Catholicæ, quæ sunt reliquæ VII. & catho-*
licæ dicuntur, quia plurimæ earum non uni
vel homini, vel urbi, vel regioni, sed, vel
Christianis omnibus, vel Judæis per totum
terrarum orbem dispersis inscriptæ sunt;
dico: plurimæ, nam epistolæ duæ postero-
res Johannis privatæ fortis hominibus inscri-
ptæ sunt, secunda nimirum matronæ cuidam,
& tertia Gajo; adnumeratæ autem sunt reli-
quis catholicis, ut hæ cum illis nomine quo-
dam generali a Paulinis, uno volumine con-
tentis, distinguerentur. Nam ATHANA-
SIVS jun. in Synopsi S. S. quæ exstat in Opp.
Athanasii senioris p. m. 59. Novi, inquit,
testamenti libri canonici sunt isti - catholicæ
epistolæ apostolorum omnes numero septem,
uno NB. comprehensæ volumine - - - Pauli
epistolæ XIV. NB. in unum redactæ volumen.
 Quod autem appellatio illa, qua hæ epistolæ
 catholicæ audiunt, satis antiqva sit, negari
 nequit, nam legitur in EVSEBII H. E. L.
 II. c. XXIII. HIERONYMI *catal. script.*
eccles. T. I. Opp. p. 169. 170. & ATHANA-
SII synopsi l. c. Dicuntur quoque hæ epi-
stolæ canonicæ, quamvis minus accurate.
 3) *In propheticum, qui est Apocalypsis Johan-*
nis. Circa hanc autem divisionem notan-
dum est (1) quod a potiori fiat denominatio,
nam & dogmata in Evangeliiis & Apocalypsi,
& historiæ in epistolis referuntur. (2) Evan-
gelia primum obtinent locum, quia primaria
fidei nostræ capita tradunt de Christi adven-
tu, passione, morte & resurrectione, s vitam
Jesu Christi, Servatoris nostri, describunt,
doctrinam, quam docuit, referunt, & mira-
P 2
cula

cula, quæ patravit, & quibus veritatem doctrinæ suæ demonstravit, recensent; *Acta apostolorum secundum*, siquidem historiam in Evangeliiis traditam continuant, eamque confirmant, & ecclesias ab apostolis plantatas nobis describunt; *Epistolæ apostolorum tertium*, quia ecclesias plantatas informant, ac evangelicam doctrinam uberius explicant, confirmant & applicant; & *Apocalypsis Johannis quartum*, quia fata ecclesiæ Jesu Christi usque ad finem mundi tradit, sive, quia a reliquis omnibus libris ratione *materiæ & modi scribendi* diversa, & ob epitogum galeatum ultimo loco convenientissima est.

XX. DESIGNATIO ANNI ET MENSIS NATALIS JESU CHRISTI. Natus est Jesus Christus A. U. C. 749. probabiliter mense Majo, nam non natus est (1) post annum U. C. 750. siquidem Herodes, quo vivente natus est, (Matth. II.) diem suum obiit anno U. C. 750. vid. p. 176. & 177.

2.) Neque anno 750. nam *Tertullianus* L. IV. contra Marcionem c. XIX. *Sed, inquit, & census constat actos sub Augusto tunc in Judæa per Sentium Saturninum, apud quos genus ejus sc. Christi inquirere potuissent.* Natus est itaque præside Syriæ Saturnino; verum, Saturninus anno U. C. 749. Syriam Varo regendam reliquit, nam nummi ejus prostant, notati anno XXV. æræ Antiochenæ, qui incipit a die 2 Septembris U. C. 749. & quod Quintilius Varus anno 750. Syriæ præfuerit, in dubium vocari nequit, nam Herodes anno 750 paucis diebus ante festum Paschatos vita excessit, JOS. A. J. L. XVII. c. XI. & cum circiter menses II. ante obitum suum Antipatrum in vincula daret, Varus Syriæ præfuit. v. L. XVII. c. VII-IX. Et proinde Jesus Christus non natus est A. U. C. 750. Obstare qui-

quidem videtur relatio Tertulliani relationi Lucæ c. II. 2. ast amice cum illa conspirat, si dicamus, quod Quirinius a Saturnino, Syriæ præside ordinario, jussu Augusti, missus sit in Syriam & Judæam, ut απογραψαμενος το εθνος, & Tertullianus itaque meminit præsidis ordinarii, Lucas vero præsidis extraordinarii, ad actum hunc in Syriam missi, Tertullianus illius, sub quem, Lucas illius, a quo census actus est.

3.) Neque ante annum 749. Nam Lucas c. II. 1. sqq. refert, Jesum natum esse illo tempore, quo Cyrenius censum instituit, & quidem prima vice. Sunt, qui απογραφην πρωτην Luc II. 2. explicant per descriptionem præfectura Quirinii priorem, seu prius factam, quam Syriæ Cyrenius præfuit. Quo minus vero sententiæ illorum subscribamus, variæ obstant rationes. Nam (1) Patribus, qui in hæc verba Lucæ sunt commentati, nihil unquam tale quid in textu Lucæ suboluit. (2) Πρωτη ponitur quandoque pro προλεραν i. προλερον, integra vero phrasis απογραφη πρωτη ηγεμονευουλος, pro προλεραν i. προλερον η ηγεμονευειν, vel η ηγεμονευειν κυρηνιον insolens est & dura. (3) Lucas, si intelligeret descriptionem quandam ante Cyrenium factam, scribere debuisset αυτη η απογραφη εγενετο πρωτη &c. (4) Syrus verba Lucæ reddidit: hæc descriptio prima fuit in vel sub præfectura Cyrenii. (5) JUSTINVS Martyr, qui seculo secundo post Christum natum floruit, disertis verbis testatur, Jesum natum esse, cum prima vice Cyrenius in Judæa censum instituerit. Nam in Apologia II. pro Christianis, vicus, inquit, quidem est Bethlehem, ubi natus est Christus; quemadmodum & ex descriptionibus census acti, quæ sub Quirinio, primo vestro in Judæa procuratore, sunt confectæ, intelligere potestis. Et in Dialogo cum Tryphone: Josephus profectus est Bethlehem απογρα-

Φης 80ης εν τη Ισδαια Ιοση πρωτης επικυρηνης. (6) Minus probabile videtur, Lucam mentionem facere non modo descriptionis, post X annos demum institutæ, sed & præsidis, sub quo instituta, cum tamen, hac explicatione admittæ, neutrum quicquam faciat ad nativitatem Christi declarandam, απογραφην vero, in quam incidit natalis Christi, nullo prorsus caractere ab eo signari, nec præside a quo, vel sub quo facta, nec temporis, quo facta, nec ulla alia περιουσει simili. Objicitur quidem a nonnullis (1) quod Josephus hujus descriptionis mentionem non injiciat, & (2) quod tunc temporis non Cyrenius, sed Saturninus Syriæ præfuerit; ast hæ objectiones facile dilui possunt. Nam quod ad primam attinet, JOSEPHVS *Ant. Jud.* L. XVII. c. III. illam descriptionem, quam Lucas respicit, subinnuit; & quod alteram concernit, ηγεμων designat in genere eum, qui quacunque ratione provinciæ cuidam præest, cumque Qvirinius in Syria & Judæa censum egerit, & proinde aliquo imperio in Syria functus sit, summo jure a Luca ηγεμων nuncupari potuit; quamvis quoque dici posset, Lucam Qvirinium κατα προληψιν, apud historicos non infrequentem, appellare Syriæ præsidem. Firmo itaque stat talo, Jesum Christum natum esse eo tempore, quo Cyrenius seu Qvirinius prima vice censum in Judæa egit. Verum, Qvirinius ante annum U. C. 749. bellum gessit cum Homonadensibus, vid. PETR. ALLIX *Diatr. de anno & mense natali J. C.* Lond. 1722. p. m. 18. 25. 69. sqq. & proinde Jesus non natus est ante A. U. C. 749. Cum autem Jesus natus sit neque ante A. U. C. 749. neque post illum, necessario inde sequitur, Jesum natum esse A. U. C. 749. Et hoc quoque exinde patet, celebrante Jesu primum festum

stum Paschatis, Judæi ipsi dixerunt, teste Johanne Evang. c. II. 20. *templum hoc quadraginta sex annis constructum est, & tu id tribus diebus destrues.* Verum, si Jesus Christus natus est A. U. C. 749. primum festum Paschatos, quod post baptismum susceptum celebravit, & proinde natus annos XXXI. (Luc. III. 23.) incidit in A. U. C. 780. Templi ædificationem Herodes suscepit, teste JOS. A. J. L. XV. c. XIV. decimo octavo regni sui anno, seu anno U. C. 734. siquidem Herodes A. U. C. 717. regnum occupavit, & Josephus annos incompletos pro completis habet. *Vide Introductionem in libros V. T. p. 176.* Jam, si de anno U. C. 780. detrahimus 734. remanent anni XLVI. & proinde Jesus Christus natus est A. U. C. 749. Quod autem ædificatio templi a Herode non absoluta, sed *demum post adventum Albini perfecta sit*, ex JOS. Ant. Jud. L. XX. c. VIII. liquido constat. Immo MACROBIUS sententiam nostram confirmat, nam L. II. *Saturnal.* Cum, inquit, Augustus audisset, inter pueros, quos Herodes, rex Judæorum, intra (*infra*) bimatum jussit interfici, filium quoque ejus occisum, ait: *melius est Herodis esse porcum, quam filium.* Non ait: *melius est, Herodis porcum fuisse quam filium*, sed esse, & proinde non respexit Antipatrum, siquidem ille a Herode die V. ante obitum suum interemptus est, sed Alexandrum & Aristobulum. Verum, Alexander & Aristobulus anno U. C. 749. occisi sunt, nam Antipater mox post illorum interitum Romam adiit, post VII. menses rediit, teste JOS. A. J. L. XVII. c. VI. redux in vincula coniectus est, vid. c. VII. & postquam legati, a Herode Romam missi, Herodem certiores fecerunt, quod voluntas Cæsaris sit, ut cum Antipatro pro lubitu suo agat, morti traditus est, paucis ante Pascha diebus, seu mense Martio, vid. c. X. & XI. Ponamus, quod duo men-

ses effluerint priusquam Herodes de voluntate Cæ-
 faris certior factus sit, tunc Antipater circiter mense
 Julio A. U. C. 749. Romam adiit, & Alexander &
 Aristobulus mense Junio morti traditi sunt, cumque
 teste Macrobio eodem tempore infantes Bethlee-
 mitici trucidati sint, & occisionem horum infantum
 nativitas Jesu Christi circiter dies L. antecesserit,
 (Luc. II. Matth. II.) Jesus Christus natus est A.
 U. C. 749. & quidem probabiliter Mense Majo,
 & id aliæ quoque svadent rationes. Nam (1) Lu-
 cas c. I. 26. refert, quod angelus Gabriel Mariæ
 apparuerit mense sexto. Non scribit: post hæc
 mense sexto, sed simpliciter, mense sexto Gabriel
 Mariam adiit. Verum, si in S. S. mensis cujusdam
 mentio injicitur, & quidem simpliciter, s. sine ad-
 dita *ἡσσεῖ* ad antecedentia, constanter innuitur
 mensis ille Judaicus, quem additus numerus indi-
 cat vid. Esr. III. 1. 6. VII. 8. Esth. II. 16. III. 7. Jer.
 XXVIII. 17. XLI. 1. Intelligit itaque Lucas mensem
 sextum anni Judaici, & hoc quoque probabile fit
 ex v. 36. siquidem Gabriel Mariæ non dicit: Eli-
 sabetha jam menses sex uterum gerit, sed hic men-
 sis est sextus illi, quo sterilis vocata est. Mensis
 sextus anni Judaici audit Eloul, cumque respondeat
 nostro Aug. & Sept. Jesus probabiliter natus est
 mense Majo. (2) Cyrenius censum egit in Judæa A. U.
 C. 749. cum autem eodem anno Romæ triumphum
 egerit, v. ALLIX p. 23. 61 quilibet facile conce-
 det, quod hunc censum non tempore æstivo, neque
 autumnali, neque hiberno illius anni instituerit. Imo
 quod probabiliter mense Majo, censu peracto Ro-
 mam adierit, vero simillimum est, nam Herodes
 Quirinium ad conventum Berytensem postero-
 rem, in quo Alexander & Aristobulus capitis da-
 mnati sunt, & qui proinde probabiliter mense Ju-
 nio habitus est, non adhibuit, si vero Quirinius ad-
 huc

huc in Judæa fuisset, Herodes illum, dubio procul, ceu virum illustrem & consularem adhibuisset, siquidem Herodes jussus erat ab Augusto, ut cum Romanis præsidibus, amicisque ceteris, & viris illustribus circa negotium filiorum suorum conferret. v. JOS. A. 7. L. XVI. c. XVI. Verum, Jesus Christus natus est eodem illo tempore, quo Cyrenius censum egit, & proinde quam maxime probabile est, Jesum natum esse mense Majo A. U. C. 749. Quodque hæc sententia antiqua, imo antiquissima sit, negari nequit, siquidem CLEMENS *Alex. L. I. Strom* refert, quod quidam in ea fuerint sententia, Jesum natum esse die XXV. Pachon i. e. die XX. Maji, & alii die XXIV. vel XXV. Pharmuthi, i. e. die XIX. s. XX. Aprilis, siquidem Pachon incipit a d. 26. Apr. & Pharm. a d. 27. Mart. v. SPANHEMII *Introd. Chr ad H. E.* ed. 8. Lugd. Bat 1689. p. 120. & 123. Celebratur quidem inter nos die XXV. Dec. natalis Jesu Christi dies, ast hoc inde accidit, quia plurimi putarunt, Zachariam summum fuisse sacerdotem, atque in sanctuario die X. mensis VII. Judæorum, Tisri dicti, visionem angelicam sibi oblatam esse. Quod autem illi erraverint, nemo non videt. Nam Zacharias vocatur non *αρχιερεus*, sed modo *ιερεus*, sacerdos, Luc. I. 5. sacerdotio suoungebatur in ordine; suæ *εφημερίας*, v. 8. sortitus erat *λεισργίαν* suffitus faciendi, v. 9. & angelus ei apparuit non in sancto sanctorum, sed ad dextram altaris suffitus, v. 11. quod in sancto collocatum erat. Quæ Scaliger objicit, argumento ab *εφημερία* Abiæ sumto, facile dilui possunt, nam familia Abiæ non semper octava manfit, sed jam ante tempora Judæ Maccabæi modo duodecimo, modo undecimo gradu numerata est. Neh. XII. 1-4. 12-17. Et profecto, quod Jesus non natus sit mense Decembri, ex eo quoque colligi potest, quia Jesus natus est, dum pastores cum

ovibus noctu in agris egerunt, quis vero non videt, mense Decembri ob acerrimum frigus & pluvias affatim cadentes, pastores non potuisse noctu in agris agere cum pecudibus suis.

XXI. TABVLA CHRONOLOGICA rerum præ aliis memoratu dignarum, quæ seculo primo a Christo nato contigerunt.

A.M.	A.U. C.	A. Imper. Roman.		Ante æram vulg.
4001	749	Aug. 26	JESUS Christus nascitur mense Majo, & paulo post Josephus jussu angeli Mariam & Jesum in Ægyptum ducit. Matth. II. 13. sqq. Herodes autem a Magis delusus occidi curat infantes Bethleemiticos, ut Christum cum illis tollat. ib.	5
4002	750	27	Herodes M. paucis ante Pascha diebus anni U. C. 750. diem suum obit, (Vid. p. 176. & 177. & JOSEPHI <i>Antiquit. Jud.</i> L. XVII. c. X. & XI.) vir in omnes sævus, & iræ servus, anno 37. ex quo rex a Romanis declaratus est. Vid. JOSEPHVM <i>Antiqu. Jud.</i> L. XVII. c. X. p. 599. & 600. <i>Augustus mediam regni partem, Judæam, Samariam & Idumæam sub Etnarchæ nomine dat Archelao, reliquam dimidiam dividit in duas partes, quarum alteram, nimirum Batanæam, Trachonitidem & Auranitidem, cum parte quadam Zenodori ut vocant) domus, Philippo confert, alteram autem, scilicet Galilæam & Perea. f. transamnanam regionem Herodi Antipa. JOSEPHI Antiqu. Jud. L. XVII. c. XIII. p. 611. B. J. L. II. c. IV. p. 782. & 783.</i> Herode mortuo, monetur ab angelo Dei Josephus, ut ex Ægypto redeat in Judæam, quum autem Archelaus successisset Herodi in Judææ tetrarchia, confirmato nimirum Herodis testamento ab Augusto, quod factum ante finem æstatis A. U. C. 750.	4

timet

A.M.	A.U. C.	A. Imper. Roman. August.		Ante aram vulg.
			timet Josephus, ne Jesus iterum in Judæa periclitetur, & propterea abit cum Maria & Jesu in Galilæam, Nazarethæ habitaturus. Matth. II. 19-23.	
4004			29 <i>Pseudo-Alexander</i> ab <i>Augusto</i> ad triremes damnatur.	2
	752			
4005			30 <i>Dionysius Exiguus</i> putat, Christum natum esse d. 25. Decembris hujus anni.	I ara vulg.
	753			
4006			31 <i>Incipit annus primus epochæ vulgaris s. Dionysiana die primo Januarii.</i>	I
	754			
4011			36 <i>Archelaus</i> ex mandato <i>Augusti Romam</i> adit, & in exilium <i>Viennam</i> , Galliæ civitatem, mittitur, mulctata prius omni pecunia, & quidem ineunte regni sui decennio. v. <i>JOS. Ant. J. L. XVII. c. XV. p. 613.</i> & <i>DIONIS Rom. Hist. L. LV. p. m. 647. & 649.</i> qui refert, <i>M. Emilio Lepido, L. Arruntio Coss. Herodes Palæstinus a fratribus accusatus, trans Alpes est relegatus, ac pars ejus ditionis in publicum redacta est.</i> <i>M. Æm. Lepidus, & Arruntius</i> vero anno U. C. 759. consulatu functi sunt. vid. <i>CAMILLI Chronolog. p. m. 266.</i> <i>Archelai</i> autem ditione Syriæ contributa, missus est <i>Quirinius</i> , vir consularis, ut jura populis redderet, facultatesque omnium censeret, & ipsius <i>Archelai</i> domum venderet, <i>JOS. A. J. L. XVII. c. XV. p. 615.</i> & cum illo venit <i>Coponius</i> , Judææ procurator ab <i>Augusto</i> constitutus. <i>JOS. A. J. L. XVIII. c. I. p. 616. sqq. B. J. LI. c. VII. p. 784.</i> <i>Quirinius</i> Judæam, jam attributam provinciæ Syriæ, adit, ut secunda vice percenseret facultates ejus regionis civium. <i>JOS. A. L. XVIII. c. I. p. 616.</i>	6
	759			
4013			38 <i>Christus</i> anno ætatis suæ XII. festo <i>Paschæ</i> Hierosolymam adit, <i>Judas Galilæus</i> seditionem movet, nam <i>JOSEPHVS</i> l. c. refert, censum <i>Quirinii</i> sine disceptatione peractum esse, & addit: <i>Exstitit tamen NB. post quidam Judas Gaulanites, ortus ex op-</i>	8
	761			

A.M.	A.U. C.	A. Imper. Roman. August.		æra vulg.
			<i>pido Gamala, qui adjuncto sibi Phari- sæo Saddoco sollicitabat ad defectionem populos, centum nihil aliud, quam ma- nifestissimam servitutis professionem esse, dicatans.</i>	
4015	763	40	Coponio M. <i>Ambivius</i> succedit. JOS. A. J. L. XVIII. c. III. p. 619.	10
4016	764	41	Tiberius ab Augusto in imperii consortium suscipitur, vid. TACITI <i>Annales</i> L. I. p. 9. v. BASNAGII <i>Annales polit. eccles.</i> T. I. p. 208. CAM. de SYLVESTRIS <i>Chron.</i> p. 121-127. HVMPHR. PRIDEAVX <i>Connex.</i> V. & N. T. P. II. p. 771.	11
4018	766	Tib. Aug. 2 & 3 43	<i>Annus Rufus</i> Ambivio succedit, probabiliter hoc anno, nam simile vero videtur, Augustum tribus annis exactis, novum constituisse procuratorem s. præsidem Judææ. Rufo autem Judæam administrante, Augustus sequenti anno fato suo fungitur. JOS. A. J. L. XVIII. c. III. p. 619.	13
4019	767	3 & 4 44	Augustus diem suum obit d. XIX. Aug. & Tiberius regnat solus A. XXII. M. VII. D. VII. vid. Append. §. IV.	14
4020	768	4 & 5	Tiberius sub initium hujus anni mittit <i>Valerium Gratum</i> in Judæam. Nam JOSEPHVS I. c. refert, quod a Tiberio sub initium imperii sui missus sit, quod annos XI. Judææ præfuerit, & quod successor illius X. annos Judæam administraverit. Cum autem Tiberius prius diem suum obierit, quam Pilatus, Romam adire iussus, illam urbem intravit, in aprico est, in hoc tempus adventum Valerii Grati in Judæam incidere.	15
4031	779	15 & 16 12	<i>Pontius Pilatus</i> succedit, & præest A. X. JOS. A. J. l. c. Anno XV. ab assumpto in consortium imperii Tiberio, <i>Johannes Baptista</i> a Deo vocatur ad præconium pœnitentiæ & baptisimi. Luc. III. 1. sqq. Lucas sequitur morem scriptoribus sacris solennem. Vid. <i>Chronologiam librorum Regum</i> p. 53. &c. & CAM. de	26

A.M.	A.U. C.	A. Imper. Roman.		æra vulg.
			<i>SYLVESTRIS Chronol.</i> p. 121. sqq. <i>Jesus Christus</i> , cum ferme esset XXX. annorum, sacro tingitur fonte. Luc. III. 21-23. vid. Append. §. II.	
4032	780	13	J. C. celebrat <i>primum Pascha</i> , postquam officio prophetico fungi cœpit. Joh. II. 13.	27
4033	781	14	<i>Secundum</i> . c. V. i. coll. IV. 35. Matth. XXVII. 15.	28
4034	782	15	<i>Tertium</i> , post concionem in schola Ca- pernaïtica habitam. Joh. VI. 4. VII. 1. sqq.	29
4035	783	16	<i>Festo Paschatis quarto</i> cruci affigitur, & postquam XL. dies inter discipulos egit, superna adit. Act. I. 1. sqq. vid. Append. §. III.	30
4038	786	20	<i>Philippus</i> tetrarcha vita excedit, anno Tiberii XX. quum præfuisset Tra- chonitidi, Gaulanitidi & Batanææ A. XXXVII. teste <i>JOSEPHO A. J.</i> L. XVIII. c. VI. p. 625. Intelligit autem Josephus more consveto non annos integros s. completos, sed in- completos. vid. P. I. Sect. II. p. 176. Tiberius Augusto successit A. U. C. 767. d. 20. Aug. & Philippus mense Julio s. Augusto A. U. C. 760. te- trarcha constitutus est, Josephus ve- ro & A. U. C. 767. s. menses IV. ultim- os hujus anni, & A. 760. s. menses, qui a Philippo tetrarcha constituto, ad finem illius anni supersunt, tan- quam integros annos supputat. Paulus convertitur, & apostolus con- stituitur. vid. Append.	33
4040	788	22.	<i>Tiberius</i> sub initium anni imperii sui XXII. & ad finem A. M. 4040. <i>Vitellium</i> Syriæ præficit, <i>JOS. A. J.</i> L. XVIII. c. V. p. 624. Cestio & M. Servilio Coss. vid. <i>TACITI Annales</i> p. 598. & 597. qui est annus ab U. C. 788. & A. M. 4040. postquam anno superiore consulem egerat. v. <i>TACITI</i> <i>Annales</i> p. 591.	35
4041	789	22	Sub initium hujus anni, currente ad- huc anno XXII. Tiberii, <i>exercitus</i> <i>Herodis</i> a copiis <i>Aræ</i> funditur, vid.	36

A.M.	A.U.	A. Imper.	C. Roman.	æra vulg.
4042	790			
			Caligula.	
				37
4043	791			
				38
4044	792			
				39
4046	794			
			Claudius.	
				41

JOS. A. J. L. XVIII. c. VII. p. 626. qui addit: *Apud Judæos fuit opinio, justa ultione Numinis deletum Herodis exercitum propter Johannem, qui Baptista cognominatus est. Hunc enim tetrarcha necavit virum optimum Judæos excitantem ad virtutis studia, & imprimis pietatis & justitiæ, simulque ad baptismi lavacrum, quod ita Deo gratum aiebat fore, si non ab uno tantum alterove peccato abstineant.* Marcellus a Vitellio, præside Syriæ, ad Judæam administrandam mittitur. JOSEPHI A. J. L. XVIII. c. V. p. 624.

Sub initium hujus anni Pilatus ex mandato Vitellii Romam adit, priusquam vero illam ingreditur, Tiberius vita excedit die XXVI. Martii. Succedit Caligula, regnans A. III. M. IX. D. XXVIII. vid. Append. §. V. 1 Marullus a Caligula in Judæam mittitur, JOS. A. J. L. XVIII. c. VIII. p. 637. & Agrippa tetrarchiæ, quæ Philippi fuit, rex constituitur. l. c.

2 Altero anno Agrippa a Caligula petit veniam navigandi in suum regnum, quod etiam imperator annuit. JOS. A. J. L. XVIII. c. X. p. 637.

3 Herodias, Agrippæ soror, nupta Herodi, tetrarchæ Galiliæ & Perææ, invidens fratri potentiam regiam, a Caligula ipsi concessam, impellit maritum suum Romam adire, & sibi regios expetere honores; adveniens autem, a Caligula perpetuo damnatur exilio, & una cum uxore Herodiade Lugdunum mittitur, urbem Galliæ, JOS. A. J. L. XVIII. c. IX. p. 637. sqq. & ita incesti connubii & mortis Johanni illatæ, & ludibriorum, in quæ J. C. verterant dignitatem, ambo supplicia dederunt justissima.

Caligula occiditur d. 24. Jan. anno imperii sui IV.

1 Claudius succedit & regnat A. XIII. M. VIII. D. XX. vid. App. §. VI. Confirmat Agrippam in regno suo, per

Cajum

A.M.	A.U. C.	A. Imper. Roman. Claudius.	era vulg.
		Cajum concessio, addita insuper <i>Judæa & Samaria, Abila & finitima ejus ditione in Libano</i> , quam <i>Lysanias</i> tenuit, <i>JOS. A. J. L. XIX. c. IV. p. 673.</i> sive, donat <i>Agrippam</i> regno paterno universo, adjiciens ei etiam illa, quæ <i>Augustus Herodi</i> donaverat, <i>Trachonidem</i> scilicet & <i>Auranitidem</i> , Præter hæc autem aliud quoque regnum, quod <i>Lysania</i> vocabatur. <i>JOSEPHI B. J. L. II. c. X. p. 793.</i>	
4048	796	3 <i>Agrippa Jacobum</i> , fratrem <i>Johannis</i> morti tradit, <i>Petrum</i> que in carcerem conjicit, <i>Act. XII.</i> & <i>Cæsaream</i> profectus, <i>moritur</i> anno imperii sui VII. <i>Act. XII.</i> vid. <i>Append. §. VII. & VIII.</i>	43
		<i>Claudius Cuspium Fadum</i> , Præsidem <i>Judææ</i> totiusque regni constituit, ac illius, & sequentis præsidis tempore, <i>Judæa magna</i> premitur <i>annone caritate</i> , <i>JOS. A. J. L. XIX. c. VII. 680. L. XX. c. I. p. 682. c. III. p. 690. B. J. L. II. c. X. p. 793.</i>	
4051	799	6 <i>Fado</i> succedit <i>Tiberius Alexander</i> , teste <i>JOSEPHO Antiqu. Jud. L. XX. c. I.</i>	46
4053	801	8 <i>Octavo</i> anno <i>Claudii</i> succedit <i>Tiberio Cumanus</i> . <i>JOS. A. J. L. XX. c. III. p. 690.</i> & eodem tempore <i>moritur Herodes, rex Chalcidis</i> , <i>Agrippæ M. frater. JOSEPHVS l. c.</i>	48
4054	802	9 <i>Claudius</i> , post obitum <i>Herodis, Agrippam</i> , filium <i>Agrippæ</i> , in patris sui regno constituit. <i>JOS. l. c. B. J. L. II. c. XI. p. 794.</i> Quod autem hoc anno <i>Agrippa</i> rex constitutus sit, certum est, nam <i>JOSEPHVS B. J. L. II. c. XIII. p. 799.</i> testatur, bellum <i>Judaicum</i> initium cepisse anno imperii <i>Neronis XII.</i> & regni <i>Agrippæ XVII.</i> mense <i>Majo</i> , mensis autem <i>Majus</i> anni XII. <i>Neronis</i> incidit in A. M. 4071. a quo factio in superiores regressu decimus septi-	49

A.M.	A.U.	A. Imper.		æra vulg.
		C. Roman. Claudius.	nusA. Agrippæ ab anno mundi 4054. initium ducit. Immo nummus, sub finem A. XXI. regni Agrippæ cufus, hanc habet inscriptionem: <i>Imperator Vespasianus Caesar, capta Judæa. Anno Agrippæ XXI.</i> Si autem Agrippa anno mundi 4053. rex Chalcidis creatus esset, non vigesimus primus, sed secundus numerandus foret, siquidem Judæa anno mundi 4075. Vespasiano imperante capta est.	
4055	803		80 Sub <i>Cumano</i> , Judææ præside, Hierosolymis <i>festo Paschalis</i> seditio oritur, & paulo post inter <i>Samaritanos & Judæos. Samaritani</i> Syriæ præsidem, <i>Numidium Quadratum</i> , conveniunt, Judæos accusantes; <i>Judæi</i> vero, & seditionis & pugne causam in <i>Samaritanos</i> referunt, & maxime in <i>Cumanum</i> . His auditis, paulo post <i>Quadratus</i> Judæam adit, & postquam quosdam supplicio affecit, <i>Ananiam</i> summum pontificem, <i>Ananum</i> ducem, primoresque Samaritanorum & Judæorum, <i>Cumanum & Celerem</i> jubet ad Imperatorem proficisci, ut sub eo iudice decerneretur de hac seditione. Iudicio autem habito <i>Cumanus</i> exilio mulctatus est. Quod sine dubio circa finem anni hujus accidit, <i>JOS. A. J. L. XX. c. III-V. p. 690-693.</i>	50
4056	804		81 <i>Claudius Felicem</i> mittit in Judæam procuratorem. <i>JOS. A. J. L. XX. c. V. p. 693. B. J. L. II. c. XI. p. 795. TACITVS</i> quidem refert <i>Anna. L. XII. p. 782.</i> Felicem eo tempore præsidem Samariæ fuisse, quo <i>Cumanus</i> Judææ præfuit, at <i>annales</i> , quos scripsit, satis arguunt, quod magna rerum Judaicarum laboraverit ignorantia. Dicitur vero quoque potest, quod a Claudio post mortem Agrippæ una cum <i>Cuspio Fado</i> , tanquam <i>χιλιαρχος</i> missus sit, qualis <i>Lysias</i> fuit, <i>Act. XXI. 31. sqq.</i> quæ est sententia <i>S. R. DAN. SALTHENII</i> in <i>Diff. Mil. IV. hab. Reg. MDCCXXXIII. p. 187.</i>	51

A.M.	A.U. C.	A. Imper. R. Claud.		æra vulg.
4057	805		12 Anno duodecimo imperii sui Agrippam in majus regnum transfert, tradens ei Samariam & Galileam, Trachonitidem, Batanæam, Gaulanitidem &c. Chalcidem vero ei adimit, postquam ejus dynasta quadriennio fuerat. JOS. A. J. L. XX. c. V. p. 693. B. J. L. II. c. XI. p. 796	52
4059	807	Nero.	Claudius moritur d. XIII. Octobris. & succedit Nero, regnans A. XIII. M. VII. D. XXVIII. v. App. §. VI. XI.	54
4060	808		1 Nero anno imperii sui primo, minorem Armeniam Aristobulo, Herodis regis Chalcidis filio tradit, Agrippæ regno IV. urbes adjicit cum agris ad singulas pertinentibus, in Perea scilicet regione Abilam & Juliadem, in Galilæa autem Tarichæam & Tiberiadem, & reliqua Judææ Felici procuranda dat. JOS. A. J. L. XX. c. V. p. 694. B. J. L. II. c. XII. p. 796.	55
4063	811		4 Felix Ægyptium Magum cum suis ad montem Oliveti profligat, Ægyptius vero fuga sibi consulit. JOS. A. J. L. XX. c. VI. p. 695. B. J. L. II. c. XII. p. 797- Paulus Hierosolymis in vincula conjicitur, vid. App. §. XIX. & Tribunus querit ex eo: Nonne tu es Ægyptius, qui ante hos dies tumultum concitasti, & eduxisti in desertum MMMM. virorum sicariorum? Act. XXI. 38.	58
4065	813		6 Porcius Festus, biennio expleto, ex quo Paulus in vincula conjectus, Felici succedit, JOS. A. J. L. XX. c. VII. p. 696. circiter mense Junio. vid. Append. §. XVI & XIV.	60
4067	15		8 Albinus mortuo Festo mense Aprili, præses Judææ constituitur, & cum adhuc in itinere agit, Jacobus lapidatur. JOS. A. J. L. XX. c. VIII. p. 697-699. B. J. L. II. c. XIII. p. 798.	62
4068	816		9 Josephus Romam adit. Vide Append. §. XVI.	63
4069	817		10 Gessius Florus mittitur in Judæam, Jos. B. J. L. II. c. XIII. p. 798. anno X.	64

Q

Neronis

A.M.	A.U. C.	A. Imper. Roman.		æra vulg.
4086	834		Titus moritur die XIII. Sept. & succedit <i>Domitianus</i> , qui regnat A. XV. D. V.	82
4101	849	25	<i>Johannes in Pathmum</i> relegatur ultimo anno <i>Domitiani</i> , vid. P. II. S. I. C. I. M. IV. <i>Domitianus</i> occiditur d. XVIII. Sept. vid. <i>Svetonium</i> p. 692. & succedit <i>Nerva</i> , imperans A. I. M. IV. D. IX.	96
4103	851		<i>Nerva</i> moritur d. XXVII. Jan. & succedit <i>Trajanus</i> imp. A. XIX. M. VI. D. XV.	98
4122	870		<i>Trajanus</i> diem suum obit d. XIX. Aug. Si quis scire cupiat annum <i>Julianum</i> respondentem anno æræ vulgaris, addat anno currenti æræ vulg. A. XLV.	117

SECTIO I.

DE

LIBRIS HISTORICIS.

CAPVT I.

DE LIBRIS,

QVI

EVANGELIA

DICVNTVR.

I. DEFINITIO EVANGELIORVM. Evangelia sunt illi libri, qui vitam JESV CHRISTI describunt, & a viris θεοπνευστοῖς consignati sunt.

Q 2

II. RA-

II. RATIO APPELLATIONIS. Dicuntur hi libri evangelia, quia evangelium, quod vi vocis lætum significat nuntium, non tantum doctrinam de salute per fidem in Christum, sed & sensu specialissimo doctrinam de nativitate, dictis, factis, passione, morte, resurrectione & adscensione Jesu Christi denotat. Annuntiant hi libri Christum Servatorem olim prædictum, a viderique a populo Israelitico expectatum, tandem toti mundo exhibitum esse, & ejus bona, quæ hominem beatum reddunt, gratis offerri, ac propterea summo jure evangelia audiunt.

III. NUMERVS. Quatuor prostant evangelia, a *Matthæo, Marco, Luca & Johanne* consignata; ex quibus Matthæus & Johannes tantum testes *αποστολοι* & *αποστολοι* fuerunt. Quod autem hæc IV. evangelia, & quidem sola illa a veteri ecclesia Christiana ceu *genuina & authentica* fuerint recepta, constat ex testimonio omnium illorum Patrum, qui seculis prioribus floruerunt, qui quoque tradunt, primo *Matthæum*, deinde *Marcum*, tandem *Lucam*, & postremo *Johannem* evangelicam consignasse historiam. Vide IRENÆVM L. III. adv. *heres.* c. I ORIGENEM apud Eusebium H. E. L. VI. c. XXV. & EVSEBIVM H. E. L. III. c. XXIV. CLEMENS Alexandrinus solummodo aliam ingreditur viam, nam EVSEBIVS H. E. L. VI. c. XIV. Clemens, inquit, *traditionem quandam, quam a vetustioribus presbyteris acceperat, refert in hunc modum. Dicebat, ex Evangeliiis prius scripta esse illa, quæ seriem generis Dominici continent, græce* *ἡ περιεχούσα τὰς γενεαλογίας*, & sane, sententia hujus viri magna se commendat verisimilitudinis specie.

IV. HAR-

IV. HARMONIA IV. EVANGELISTARVM.

Cui animus est a præconceptis opinionibus liber, concedet, seriem rerum a Christo gestarum, quam tradit Matthæus a cap. V. usque ad XV. diversam esse ab illa, quam in evangelio Marci & Lucæ conspicimus. Sunt viri magni nominis, qui putant, Matthæum seriem veram observasse; quum autem Lucas c. I. 3. profiteatur, se scripsisse *καθεξής*, & Marcus, qui a Petro, (de quo constat, quod prius Jesu Christo adhæserit, ac Matthæus) historiam evangelicam percepit, & cui ob oculos fuit evangelium a Matthæo conscriptum, vid. P. II. S.I.C.I.M.II. seriem rerum a Christo gestarum, quam sistit Matthæus, deserat, & eandem, quam Lucas habet, referat, ac Matthæus, si quædam discrepantia est inter illum & Marcum Lucamque, tempus accurate non determinet, nulli dubitamus, quin Lucas & Marcus in pertexenda serie rerum a Christo gestarum Matthæo præferendi sint. Et si hoc conceditur, quod concedendum esse putamus, harmonia evangelica probabiliter hæc est:

	Matthæus.	Marcus.	Lucas.	Johannes.
Proœmium evangelii			I. 1-4	
Lucæ				
Nativitas Johannis Baptistæ & Christi ab angelo Gabriele prædicatur.			5-38	
Maria visitat Elisabetham.			39-45	
Redit Nazareth.			56	
Johannes Baptista nascitur.			57-80	
Josephus, postquam Mariam gravidam deserere decreverat, adductus apparitione angelica, illam accipit.				
Jesus nascitur.	I. 18-24 25		II. 1-20	

Q 3

Genealo.

	Matthæus.	Marcus.	Lucas.	Johannes.
Genealogia Mariæ, matris Jesu.			III. 23-38	
- Josephi.	I. 1-17			
Jesus est verus homo & Deus.				I. 1-5. 9-14
Circumciditur.			21	
Deo in templo sistitur.			22-38	
A Magis adoratur.	II. 1-12			
Josephus, ab angelo in somno monitus, cum Maria ac Jesu in Ægyptum fugit.	13-15			
Infantes Bethleemiti- ci jussu Herodis cæ- duntur.	16-18			
Josephus ab angelo Dei reditus ex Ægypto mandatur.	19			
Josephus terram Israe- liticam adit, & man- dato divino in Gali- læam se confert, ac Nazarethæ habitat.	20-23		II. 39. 40	
Jesus A. XII. natus, spe- cimen sapientiæ suæ in templo edit, & Na- zaretham redit.			41-52	
Johanni præconium pœnitentiæ & bap- tismi a Deo demanda- tur.		I. 1-3	III. 1. 2	
Johannes prædicat in deserto Judææ.	III. 1-10	4-6	3-14	
Testatur de Jesu.	11. 12	7. 8	15-18	I. 6-9
Jesus e Galilæa ad Jor- danem veniens, a Jo- hanne sacro fonte tingitur.	13-17	9-11	21-23	
In deserto tentatur.	IV. 1-11	12. 13	IV. 1-13	
Johannes denuo de Je- su testimonium edit.				15-18
Legatis concilii Judæ- orum testimonium de se & Jesu Christo reddit.				19-28
De Jesu iterum ite- rumque testatur.				29-36
Duo discipuli Johan-				

	Matthæus.	Marcus.	Lucas.	Johannes.
nis Jesum in hospitium sequuntur.				37-40
Unus illorum Andreas fratri Simoni nuntiat, se Messiam invenisse, eumque ad Christum adducit.				41. 42
Postero die Jesus iturus in Galilæam, Philippo dicit: sequere me, Philippus vero Nathanaelem inveniens, testatur ei de Jesu, & Christus cum Nathanaele colloquium habet.				43-51
Jesus in Galilæam revertitur, & nuptiis Canæ celebratis interest.			14. 15	II. I-II 12
Descendit Capernaum.				
<i>Acta Christi a Paschate ministerii publici primo ad secundum.</i>				
Jesus, cum Pascha Judæorum jam prope esset, Hierosolymam ascendit.				13
Ementes & vendentes cum nummulariis e templo ejicit.				14-22 23-25
Multi in Jes. credunt. Jesus Nicod. de regeneratione informat.				III. I-21
Hierosolyma relicta venit in terram fortis s. tribus Judæ, & per discipulos baptizat.				22-24
Johannes ultimum de Christo testimonium apud discipulos æmulantes edit.				25-36
Jesus de Johanne in custodiam dato audiens, Judæam relinquit, & in Galilæam				tendit

	Matthæus.	Marcus.	Lucas.	Johannes.
tendit mense circiter Novembri. -	IV. 12	I. 14	III. 19. 20	IV. 1. 3
Samaritam transiens cum muliere Samar. colloquium habet, cum quadrimestre spatium superesset ad messem, quæ incipie- bat post fest. Pasch.				4 - 42
In Galilæam veniens, a Galilæis recipitur. Canam, urbem Gali- lææ, adit, & cuius- dam, regis Herodis partes secuti, filium absentem sanitati re- stituit. - -	12	14		43 - 45
Venit Nazaretham, & concione in Synago- ga habita, in pericu- lum vitæ venit. -			IV. 16 - 30	
Relicta Nazareth Ca- pernaum se confert, ibique habitat & prædicat. -	13 - 17	14. 15		
Ad mare Genezareth Simonem, Andream, Jacobum & Johan- nem vocat. -	18 - 22	16 - 20		
Redit Capernaum & in schola docet cum om- nium admiratione.		21. 22	31. 32	
Obsessum liberat. -		23 - 28	33 - 37	
Socrum Simonis sanat.	VIII. 14. 15	29 - 31	38 - 39	
Allatos ægrotos curat.	16. 17	32 - 34	40. 41	
In desertum orandi causa secedit. -		35 - 37		42
Galilæam peragrat, & in synagogis prædi- cat, ac dæmones ejicit. -	23 - 25	38. 39	43. 44	
Ad mare Genezareth, in Simonis navi, tur- bam docet, miracu- losam jubet captu- ram piscium, & Simo- nem, Jacobum Jo- hannemque piscato-				

	Matthæus.	Marcus.	Lucas.	Johannes.
res hominum constituit.			V. 1-11	
Sanat leprosum.		40 - fin.	12-15	
Secedit in desertum orandi causa.			16	
Iterum Capernaum adit.		II. 1-2		
Paralytico peccata remittit, & sanitatem restituit.	IX. 2-8	3-12	17-26	
Ad mare egreditur.		13	27	
Levin s. Matthæum e telonio vocat.	9-13	14-22	27 - fin.	
Hierosolyman Paschatis celebrandi causa ascendit.				V. 1
Sabbato <i>deu</i> <i>λεγομενω</i> <i>ω</i> per fata transiens, discipulos spicas velentes defendit,	XII. 1-8	23 - fin.	VI. 1-11	
<i>Acta Christi a Paschate secundo ad tertium.</i>				
Jesus in festo Paschatis claudum ad piscinam Bethesdæ sanat.				I - fin.
In Synagoga quadam dextram cujusdam aridam sanam reddit.	9-14	III. 1-6		
Secedit ad mare, & multos sanat.	15-21	7-12		
Precum causa montem conscendit, & ex convocatis discipulis XII. apostolos constituit.		13-19	12-16	
Concionem ad discipulos & populum habet.	V - VII.		17 - fin.	
De monte descendens leprosum purgat.	VIII. 1-4			
Capernaum intrat, & centurionis servum restituit.	5-13		VII. 1-10	
Ad portam civitatis Nain viduæ filium unigenitum resuscitat.			11-17	

	Mathæus.	Marcus.	Lucas.	Johanne ^s .
Discipulis a Johanne missis respondet, & Johannem commendans, urbes quasdam increpat.	XI. 2-30		18-35	
In domo Simonis mulierem peccatricem admittit & absolvit.			36-50	
Urbes vicosque peragratur.			VIII. 1-3	
Cum intrasset domum quandam, magna convenit turba.		20. 21		
Dæmoniacum cæcum & mutum sanat.	XII. 22. 23			
Contra blasphemantes, quod per Beelzebulem dæmonia ejiceret, se defendit.	24-37	22-30		
Signum petentibus negat.	38-45			
A matre & fratribus quæritur.	46-50	31-35		
In mari ex navigio parabolam de feminante proponit, & discipulis exponit.	XIII. 1-23	IV. 1-20	4-15	
Parabolam de lucerna non occultanda docet.		21-25 26-29	16-18	
De seminibus proventu.	24-30			
De Zizaniis inter triticum.	31. 32	IV. 30-32		
De grano sinapi.				
Alias proponit parabolas.	33			
De fermento.				
Indicatur ratio, quare Jesus in parabolis ad turbas locutus sit.	34-35	34		
Jesus in domum quandam veniens, discipulis seorsim exponit parabolam de zizaniis.	36-43			
Proponit discipulis alias parabolas.	44-52			
Occasione præsentia				

	Matthæus.	Marcus.	Lucas.	Johannes.
matris & fratrum iterum ostendit, quæ sit mater, frater & foror. -			VIII. 19-21	
Mare trajecturum Christum adit scriba, & quidam ex numero discipulorum.	VIII. 18-22			
Navem ingresso Christo cum discipulis, oritur tempestas ingens, quam autem verbo compefcit.	23-27	35 - fin.	22-25	
Trans mare in finibus Gergesenorum e duobus obsessis dæmones ejicit, & porcis in mare a dæmonibus præcipitatis, rogatur a civibus, ut e finibus ipforum discedat. -	28-34	V. 1-17	26-37	
Alter ex hisce obsessis Christum, navi domum reversurum, adit, & veniam sibi expetit, illum sequi.		18-20	38-39	
Christus mari trajecto in urbem suam venit.	IX. 1	21	40	
Paralyticum adductum sanat. -	2-8			
Matthæum iterum vocat, cum publicanis cibum capit, idque defendit, ac Johannis discipulis de jejunio respondet. -	9-17			
Filiam Jairi resuscitat, & hæmorrhousam sanat. -	18-26	22 - fin.	41 - fin.	
Inde secedens, cæcis oculos aperit. -	27-31			
Mutum a diabolo obsessum liberat & sanat, atque ob hoc factum a Phariseis blasphematur. -	32-34			
Adit Nazareth, & a civibus contemnitur.	XIII. 54 - fin.	VI. 1-6		

Circum-

	Matthæus.	Marcus.	Lucas.	Johannes.
Circumiens omnes civitates, docet, multosque sanat. -	IX. 35	VI. 6		
Pro operariis, in messem extrudendis, orare jubet. -	36-38			
Apostolos XII. ablegat cum potestate <i>ἰαμαρτυρῆν</i> . -	X. 1-fin	9-13	IX. 1-6	
Christus prædicat in civitatibus. -	XI. 1.			
Johanne Baptista decollato Herodes alique varias de Jesu concipiunt opiniones. -	XIV. 1-12	14-29	7-9. coll. III. 19. 20	
Apostoli ex legatione prima revertuntur.		30	IX. 10	
Christus, morte Johannis, & discipulorum factis auditis, in desertum urbis Bethsaidæ cum discipulis abit. -	13	31. 32	10	VI. 1
Magna turba Jesum sequitur. -	13	33	11	2
Quinque millia virorum panibus quinque & piscibus duobus a Jesu cibantur, & quidem, cum <i>Pascha Judæorum</i> jam instaret. -	41-21	34-44	11-17	3-14
Dimissis discipulis & populo, montem orationis causa conscendit, cum vero navigium, quo discipuli vecti sunt, in medio esset mari, super mare ambulat, & mox cum discipulis in terram Genesareth venit. -	22-34	45-53		15-21
Ægrotos allatos sanat.	35. 36	54-56		
Populus Jesum quærit, & itagnum trajiciens,				eum

	Matthæus.	Marcus.	Lucas.	Johannes.
eum in terram Genesareth invenit. -				22-25
Capernaumi in Synagoga concionem habet de pane vitæ.				26-60
Murmurantes discipulos instruit. -				61-72
<i>Acta ministerii Christi a Paschate tertio ad quartum.</i>				
Pharisæos, discipulis, quod pollutis manibus comedant, exprobrantes redarguit. -	XV. 1-20	VII. 1-23		
In confinia Tyri & Sidonis secedit, ibidemque Syro-phœnissæ filiolum a dæmonio liberat. -	21-28	24-30		
E finibus Tyri reversus, venit ad mare Galilææ, & surdum mutumque sanat.	29-31	31-fin.		
Montem ascendit, ægrotos allatos sanos reddit, & IV. millia hominum miraculose cibant. -	XV. 22-38	VIII. 1-9		
Venit in partes Dalmanuthæ s. Magdalæ.	39	10		
Pharisæis signum sibi expetentibus, negat aliud, quam Jonæ signum, illis datum iri. -	XVI. 1-4	11. 12		
Navigio mare trajicit. -	4	13		
Reversus in ulteriorem ripam, discipulos monet de cavendo fermento Pharisæorum. -	5-12	14-21		
Bethsaidæ cæcum sanat. -		22-26		
In vicis Cæsareæ Philippi confessionem Petri audit, mortem				suam

	Matthæus.	Marcus.	Lucas.	Johannes.
suam prædicit, & Petrum reprehendit.	13-28	27-IX. 1	IX. 18-27	
In monte transformatur.	XVII. 1-13	2-13	28-36	
Filium lunaticum, descendens e monte, a dæmonio liberat.	14-21	14-29	37-43	
Secunda vice mortem suam prædicit.			44-45	
Per Galilæam transiens, discipulos suos docet de morte ac resurrectione sua.	22. 23	30-32		VII. 8
Capernaum intrans, tributum miraculo partum pro se & Petro solvi jubet.	24-27	33		
Litem, inter discipulos de primatu ortam, decidit.	XVIII. 1-5	33-37	46-48	
Johanni interloquenti de quodam dæmonia ejiciente, resp. Monet de scandalo.	6-14	38-40 44-50	49-50	
Instruit discipulos de fratre peccante corripiendo, deque condonando eidem.	15-fin.			
Ascendit Hierosolymam occulte ad festum tabernaculorum, mittens ante se nuntios, qui progressi in viam Samaritanorum, recepti non sunt.			51-56	2-10
Respondet in itinere quibusdam.			57-fin	
Ablegat discipulos LXX. ante faciem suam, & quidem binos in omnem urbem & locum.			X. 1-16	
Judæi quærunt Jesum tempore festi tabernaculorum, & diversa de eo ferunt judicia.				VII. 11-13 In

	Matthæus.	Marcus.	Lucas.	Johannes.
In medio festo docet in templo. -				14-53
Profectus mox in montem olearum, diluculo iterum Hierosolymam ingressus in templo docet. -				VIII. 1-2
Adulteram absolvit.				3-11
Concionem gravissimam in templo habet. -				12- fin.
Cæcum natum sanat.				IX. 1-41
Concionatur de festo ostio ovilis, pastore &c. -				X. 1-2
Discipulos reversos excipit. -			17-20	
Cum gaudio celebrat Patrem. -			21. 22	
Discipulos prædicat beatos. -			23. 24	
Informat legisperitum de vita æterna.			25-37	
Bethaniam veniens, a Martha suscipitur.			38- fin.	
Discipulos orare docet, & ad orandum hortatur. -			XI. 1-13	
Dæmonium mutum eicit, & contra Phariseos blasphemantes se defendit. -			14- fin.	
Instruit discipulos in magno turbæ conventu de cavendo fermento Pharisaico, de non timendis hominibus, de blasphemia in Spiritum sanctum, & de assistentia Spiritus sancti, tempore causæ coram magistratibus dicendæ. -			XII. 1-12	
Renuit hæreditati dividendæ præesse, & dehortatur ab avaritia & solitudine ni-				

XIX

mia

	Matthæus.	Marcus.	Lucas.	Johannes.
mia victus & amictus.			13-35	
Discipulos populumque varia monet.			36-fin.	
Adhortatur ad resipiscientiam accepto nuntio de Galilæis a Pilato occisis.			XIII. 1-9	
In synagoga quadam mulierem annos XVIII. ægotam fanat.			XIII 10-18	
Parabolas quasdam proponit.			19-21	
Per oppida & vicos docet, tendens Hierosolymam ad encænia instantia.			22	
Respondet quærenti, an pauci salventur?			23-30	
Indicat, quæ Herodi vulpi essent nuntianda.			31-35	
Hydropicum die Sabbati fanat, hocque factum defendit.			XIV. 1-6	
Parabolas varias proponit.			7-XVI. 1-f.	
Discipulos instruit.			XVII. 1-10	
Per Samariam & Galilæam Hierosolymam proficiscitur.			11	
Decem leprosos fanat.			12-19	
Pharisæis quærentibus respondet, & agit de die adventus filii hominis.			20-fin.	
Parabolas proponit de judice neque Deum neque homines timente, a vidua quadam tamen continuis supplicationibus expugnato, & de Pharisæo & Publicano.			XVIII. 1-14	
Venit e Galilæa in fines Judææ trans Jordanem, multosque fanat.	XIX. 1-2	X. 1		Phari.

	Matthæus.	Marcus.	Lucas.	Johannes.
Pharifæis de divortio quærentibus respondet.	3-12	2-12		
Infantes ad se adduci jubet, iisque manus imponit.	13-15	13-16	15-17	
Divitem quendam tentat.	16-26	17-27	18-27	
Petro, se omnia reliquisse dicenti, respondet.	27-30	28-32	28-30	
Parabolam profert de operariis in vinea.	XX. 1-16			
Encæniam Hierosolymis celebrat, & in templo Judæis respondet.				X. 22-39
Abit trans Jordanem illuc, ubi Johannes baptizaverat, s. Bethabaram in Peræa.				40-42
Certior redditur de Lazaro lethaliter decumbente.				XI. 1-16
Abit Judæam, & Lazarum Bethaniæ resuscitat.				17-53
Abit Ephrem in deserto.				54
Imminente jam Paschate, dicunt Judæi de Jesu in templo, cur non venit ad diem festum?				55-fm.
Ascendit Hierosolymam ad Pascha, mortemque suam instantem discipulis prædicit.	17-19	32-34	31-34	
Filios Zebedæi de vero primatu instruit.	20-28	35-45		
Ante portas Jerichuntis cæcum sanat.			35-43	
Jerichuntem transit, & Zachæum de arbore descendere jubet, ac ad illum divertit.		46	XIX. 1-10	Para-

	Matthæus.	Marcus.	Lucas.	Johannes.
Parabolam proponit de talentis, servis decem concredit.			II-27	
Ex urbe egressus, duos sanat cæcos.	XX. 29-34	46-52		
Sex dies ante Pascha Bethaniam venit, Martha ei inserviente, Lazaro vero mensæ accumbente.			28	XII. 1.2
A Maria ungitur.				3-8
Turba multa Bethaniam confluit.				9-11
<i>Gesta die Solis.</i>				
Posterodie Hierosolymæ appropinquans, a Bethphage ad montem Oliveti discipulos mittit, ut asinam cum pullo sibi e vico adducant, pulloque vehitur Hierosolymam, exceptus exclamatione votiva Hosanna.	XXI. 1-9	XI. 1-10	29-44	12-19
Templum ingressus, ementes & vendentes templo profligat.	10-13	11	45.46	
Cæcos claudosque sanos reddit.	14			
Pueri in templo clamant: Hosanna filio David, illosque defendit contra sacerdotes & legisperitos.	15.16			
Græcis Jesum videre desiderantibus, idque indicantibus Philippo & Andrea, de tempore glorificationis filii hominis, de judicio mundi &c. concionatur.				20-36
Vesperi Bethaniam se confert.	17	11		
<i>Gesta die Luna.</i>				
Sub matutinum ingressum in civitatem				esuriens

	Matthæus.	Marcus.	Lucas.	Johanne
esuriens, fructum frustra quærens in ficu, illi maledicit.	18. 19	12 - 14		
Ementes & vendentes iterum e templo eicit, nec permittit, ut quicquid per templum portetur.		15 - 17		
Principes sacerdotum & scribæ consilium ineunt, quomodo Jesum commode perdere possint.		18		
Vespero iterum Hierosolyma egreditur.		19		
<i>Gesta die Martis.</i>				
Jesus Hierosolymam petens, discipulis admirantibus, ficum tam cito exaruisse, de vi fidei sermonem habet.	20 - 22	20 - 26		
Sacerdotibus de auctoritate sua respondet.	23 - 27	27 - 33	XX. 1 - 8	
Parabolam proponit de duobus filiis in vineam missis.	28 - 32			
De vinea elocata.	33 - 46	XII. 1 - 12	9 - 19	
De rege, filio nuptias parante, & servis emissis contentis & interfectis &c.	XXII. 1 - 14			
Pharisæis, de censu Cæsari solvendo interrogantibus, respondet.	15 - 22	13 - 17	20 - 26	
Resurrectionem mortuorum adversus Sadducæos adstruit.	23 - 33	18 - 27	27 - 39	
Quæstionem de præcepto præcipuo expedit, & de Messia, cujus filius sit, quærit.	34 - 46	28 - 37	40 - 44	
Scribis & Phariseis vè dicit	XXIII. 1 - f.	38 - 40	45 - 47	

R 2

Viduz

	Matthæus.	Marcus.	Lucas.	Johannes.
Viduæ pauperis elemosynam prædicat.		41-44	XXI. 1-4	
Templo egressus Hierosolymæ ruinam prædicat, suumque adventum ad iudicium mundi.	XXIV. 1-f.	XIII. 1-fin.	5-36	
Proponit parabolam de decem virginibus, & de talentis servis tribus concreditis.	XXV. 1-30			
De progressu extremi iudicii discipulos instruit.	31. fin.			
Hierosolyma egreditur, se absconditurus.			37-38	37. fin.
Crucifixionem suam prædicat.	XXVI. 1.2			
Sacerdotes & legisperiti deliberant, quomodo Jesum cum dolo apprehenderent & occiderent.	5	XIV. 1.2	XXII. 1.2	
Bethaniæ in domo Simonis leprosi ungitur.	6-13	3-9		
Judas XXX. argenteis acceptis, promittit principibus sacerdotum, Jesum illis tradere, & ab illo tempore querit <i>ευναγια</i> .	14-16	10. 11	3-6	
<i>Gesta die Mercurii.</i>				
Jesus hæret Bethaniæ. (Joh. XII. 37.)				
Post cænam depositis vestibus, discipulorum pedes lavat.				XIII. 1-17
Proditoris sui, ast tecto nomine, mentionem injicit.				18-21
Johanni in aurem dicit, ille est proditor, cui intinctum panem nunc porrigo.				22-26
Judas adit principes				sacer-

facierdotum, illisque modum Jesum capiendi optimum aperit.
 Post abitum Judæ de sui glorificatione loquitur, notum illis facit, se mox abiturum ad patrem, & charitatem mutuum inculcat.
 Petro magna pollicenti perhibet, ipsum tribus vicibus se abnegaturum, priusquam gallus cantet.
Gesta die Jovis.
 Solatium discipulis contra mœrorem impertitur, & de rebus quibusdam maximi momenti instruit.
 Discipulos quærentes, ubi Pascha parandum, ablegat ad aliquem Hierosolymæ degentem.
 Adit Hierosolymam.
 In itinere comparat se viti, & fideles palmitibus, hortatur discipulos, ut in verbo & amore suo manent, mutuum dilectionem inculcat, adversus mundi odium præmunit, Paracletum promittit, quærentibus respondet, luctum in gaudium convertendum prædicit, & dispersionem illorum futuram esse, enuntiat.
 Comedit cum discipulis agnum paschalem.

Matthaus.
 17-19
 20
 R 3

Marcus.
 12-16
 17

Lucas.
 7-13
 14-18

Johannes.
 87-90
 31-35
 36-fn.
 XIV. 1-31
 32
 XV. XVI.
 Disci.

	Matthæus.	Marcus.	Lucas.	Johannes
Discipulis dicit, aliquem ex ipsis se proditurum esse.	21. 22	8. 19		
Proditoris sui iterum tecto nomine meminit.	23. 24	30		
Judæ forsitan non procul a Jesu mensæ accumbenti, & Jesu dicenti : numquid ego sum? respondet : Tu dixisti.	25			
Sacram cœnam instituit.	26. 29	22-25	19. 20	
Proditoris sui iterum tecto nomine meminit, eique vâ denuntiat.			21-23	
Contententes discipulos de principatu perstringit.			24-30	
Indicat discipulis, Satanam cupere illorum cribrationem, & Petro, se pro eo intercessisse.			31. 32	
Petro multa promittenti, respondet, ipsum tribus vicibus se abnegaturum esse.			33-38	
Preces ad Deum fundit.				XVII.
Hierosolyma egreditur, & adit hortum in monte Oliveti situm.	30	26	39	XVIII. I
In via discipulis prædicit, omnes hac nocte scandalum passuros esse &c.	31. 32	27. 28		
Petro iterum prædicit, quod ter ipsum negaturus sit.	33-35	29-31		
<i>Historia Passionis.</i>				
In horto Gethsemane, relictis aliis discipulis, Petrum & filios Zebedæi assumit, ac				

	Matthæus.	Marcus.	Lucas.	Johannes.
his presentibus incipit contristari & mœstus esse, jubetque orare & vigilare.				
Adventum proditoris discipulis annuntiat, illique obviam procedit.	36-45	32-41	40-46	
Venientibus cum Juda se manifestat.	45-46	41-42		
A Juda proditur, & a turba comprehenditur.	47	43	47	2-9
Petrus gladio Malchum, pontificis servum, percutiens, auriculam ejus amputat.	48-50	44-46	47-48	
Cohorti exprobrat, quod tanquam ad latronem cum gladiis & fustibus exierint.	51-54	47	49-51	10-11
Ligatur a Judæis.	55-56	48-49	52-53	12
A discipulis deseritur.	56	50-52		
Abducitur ad pontifices Annam & Caipham.	57	53	54	13, 14
Petrus Jesum sequitur, & prima vice illum abnegat.	58-69-70	54-66-68	54-57	15-18
Jesus de discipulis & doctrina interrogatur.				19-21
Alapa ipsi infligitur.				22-24
Accusatur a falsis testibus anxie quæsitis.	59-63	55-61		
Caiphas Jesum adjurat, ut dicat, an sit filius Dei, eumque ob editam confessionem blasphemiam arguit, quam accusationem condemnationis sequitur.	63-66	61-64		
Jesus conspuitur, cæditur & illuditur.	67-68		63-65	
Petrus peracta secun-				da

	Matthæus.	Marcus.	Lucas.	Johannes.
da & tertia abnegatione pœnitentiam agit.	71 - fin.	69 - fin.	58 - 62	25 - 27
<i>Acta die Veneris.</i>				
Jesus coram Synedrio sistitur, & mortis reus judicatur.	XXVII. 1	XV. 1	66 - fin.	
Ad Pilatum ducitur.	2	XV. 1	XXIII. 1	28
Judas se ipsum vita privat.	3 - 10			
Jesus coram Pilato accusatur.	11 - 14	2 - 5	2 - 5	29 - 38
Ad Herodem mittitur, & ab illo remittitur.			6 - 12	
Pilatus Jesum morti eripere laborat.	15 - 25	6 - 14	13 - 23	38 - 40
Pilatus Judæis cedens, Christum flagellis cædi jubet.	26	15	24. 25	XIX. 1
Jesus a militibus illudatur, conspuitur & percutitur.	27 - 31	16 - 20		2
Pilatus iterum dimissionem Jesu Judæis persuadere studet, at victus clamore Judæorum, eum cruci adfigendum tradit.				4 - 16
Jesus ad locum supplicii ducitur.	31. 32	20. 21	26	16. 17
Concionem gravissimam habet ad mulieres plangentes.			27 - 31	
Perducitur in locum Golgathæ cum duobus latronibus.	33	22. 23	32	
Vinum felle mixtum bibere recusat.	34	23		
Cruciadfigitur.	37	24. 25	33	18
Titulus quidam, continens causam mortis Jesu, cruci ejus affigitur.	37	26	38	19 - 22
Jesus orat pro crucifixoribus.			34	
Milites vestimenta Jesu inter se dividunt.	35. 36	24	43	23. 24 Duo

	Matthæus.	Marcus.	Lucas.	Johannes
Duo latrones cruci adfiguntur. -	38	27.28		
Jesus fannis excipitur.	39-44	29-32	35-37.39	
Alter latronum convertitur. -			40-43	
Jesus suæ matri Johannem, & Johanni matrem commendat. -				25-27
Sole obscurato clamat: Eli Eli &c. -	45-47	33-35	44-45	
Sitim suam prodit.	48.49	36		28.29
Accepto aceto exclamat: Consummatum est. -				30
Voce magna Patri commendat spiritum suum. -	50	37	46	30
Mortem Jesu miracula immediate sequuntur. -	51-53	38	45	
Centurio ad crucem excubias agens convertitur. -	54	39	47	
Turba percutit pectora sua, quod conspicitur a cognatis Jesu, & mulieribus quibusdam e longinquo stantibus. -	55-56	40.41	48.49	
Latus Jesu aperitur. <i>Historia Sepulchri.</i>				31-17
Jesus a Josepho & Nicodemo honorifice sepelitur. -	57-60	42-46	50-54	38-42
Mulieres quædam subsecutæ adspiciunt sepulturam Jesu.	61	47	55	
Lapis sepulchralis obsignatur, additis quibusdam militibus in custodiam. -	62-64			
Mulieres a monumento revertuntur, & Sabbatum Hierosolymæ transigunt. <i>Historia resurrectionis & ascensionis.</i>			56	
Exacto Sabbato mu-				

	Matthæus.	Marcus.	Lucas.	Johannes.
lieres aromata & unguenta parant. -		XVI. 1		
Cum jam, factò terræ motu, lapis per angelum a sepulcro revolutus esset, mulieres illud adunt.	XXVIII. 1-4	2. 3	XXIV. 1. 2	XX. 1
Vident lapidem sublatum a monumento, & Maria Magdalena statim recurrit ad Petrum.		4		1. 3
Mulieres reliquæ de resurrectione Jesu Christi facta certiores redduntur, & redeunt cum festinatione ad discipulos.	5-8	5-8	3-8	
Petrus & Johannes currunt ad monumentum.			12	2. 11
Mariæ apparent duo angeli, & quarunt de causa ploratus.				11-13
Jesus apparet Mariæ. Occurrit mulieribus a sepulcro revertentibus	8-10	9-11	9-11	14-18
Principes sacerdotum suggerunt militibus mendacium de corpore Jesu furto ablatò.	11-15			
Jesus apparet discipulis duobus in vico quodam, cui nomen Emaus.		12	13-31	
Discipuli illi ad apostolos properantes, audiunt, Jesum Simonì Petro apparuisse.		13	32-35	
Jesus apparet discipulis eodem die, Thoma absente.		14	36-49	19-23
Post dies octo apparet discipulis, cum Thomas adesset.				24-31
				Ad

	Matthæus.	Marcus.	Lucas.	Johannes.
Ad mare Tiberiadis discipulis piscanti- bus se manifestat.				XXI. 1-14
Colloquitur cum Pe- tro.				15-24
Discipulis in Galilæa apparet, illosque in officio demandato confirmat, additis magnis promissioni- bus.	16-20	15-18		
Ascendit in cælum.		19	50. 51	
Discipuli Hierosoly- mam revertuntur.			52. 53	
Apostoli egrediuntur ad prædicandum evangelium, domi- no cooperante.		20. 21		
Conclusio historię evangelicę.				25

MEMBRUM I.

DE EVANGELIO MATTHÆI.

I. INSCRIPTIO. Illa in codicibus nostris est:
TO KATA MATΘAION EYANGELION. Codex au-
tem, quo Hieronymus usus fuit, hanc habuit inscri-
ptionem: *Sanctum Jesu Christi Evangelium secun-
dum Matthæum*; & inscriptio versionis arabicę est:
*Evangelium Jesu Christi, prout scriptum est a S.
Matthæo, qui fuit ex XII. discipulis.* Addita est
hęc inscriptio, cum reliqua evangelia accesserunt,
ut scilicet hoc evangelium ab illis dignosci posset.
vid. P. II. N. XIV. p. 202.

II. AUCTOR. Quod *Matthæus* hanc evangeli-
cam relationem consignaverit, nemo sanę mentis
negabit, nam nec unus proferri potest codex MSS.
qui auctori alii hoc evangelium tribuat, & ad unum
omnes

omnes Patres perhibent, Matthæum esse hujus evangelii auctorem. Quod autem ad Matthæum attinet, notanda est

I. *Significatio nominis, quo appellatus est.* Matthæus אֲתָנָן & מַתְתָּי derivatum, a Deo datum s. donatum denotat.

II. *Ortus.* Si & *Levi*, quod *associatum* significat, vocatus fuerit, (quod quidam ex Matth. IX. 9. coll. Luc. V. 27. & Marc. II. 14. adstruunt. HERACLEON autem apud CLEMENTEM Alexand. L. IV. *Strom.* p. m. 502. & ORIGENES L. I. *contra Celsum* p. 48. in dubium vocant) patrem habuit *Alphæum*, genere probabiliter *Judæum*. Marc II. 14.

III. *Conversio & vocatio ad munus apostolicum.* Illa legitur Matth. IX. 9. 10. & hæc Luc. VI. 13. 14. 15. Marc. III. 13. 14. 18.

IV. *Singularia.* (1) Ante conversionem *publicanus*, aut ut putat SVICERVS in *Thef. eccles.* sub litera *τελωνης*, *portitor*, s. portoriis exigendis præfectus fuit; Matth. VIII. 9. X. 3. quod munus Judæi ad turpissimas & Deo quam maxime exosas vitæ rationes retulerunt, Matth. XI. 19. XVIII. 17. Luc. XVIII. 11. quia illi, qui huic muneri præfuerunt, quamvis Judæi essent, communem vitæ consuetudinem cum incircumcisis gentilibus habuerunt, conf. Act. X. 28. telonium a Romanis impositum, a fratribus suis crudelissime exegerunt, avaritiæ, turpi quæstui, ac rapinis dediti fuere, Luc. III. 13. XIX. 8. & Romanis, quorum jugum Judæi indignissime tulerunt, (vid. JOSEPHI *Antiqv. Jud.* L. XVIII. c. II.) quia illi & incircumcisi, & idololatriæ dediti erant, operam suam ad tributorum exactionem, quasi ad opprimendam populi Dei libertatem locarunt. (2) Adhæsit Christo comes

mes individuus. (3) Relatum legimus in scriptis *Patrum*, quod ad tempus in *Judæa* evangelium prædicaverit, & deinde in *Macedoniam* & *Æthiopiã* profectus, gentes ad fidem in Christum perduxerit. (4) De morte ejus nil certi constat, HERACLEON teste CLEMENTE Alexandri- no *Strom.* L. IV. p. m 502. in ea fuit sententia, Matthæum morte naturali obiisse, alii autem perhibent, quod martyrium subierit, quamvis non convenient, quo loco id acciderit. (4) Stilo utitur mediocri, plano, puro & lenitate quadam æquabili profluente. (5) Duas longissimas conciones a Jesu Christo in principio & fine ministerii sui habitas refert, quod non sine magno consilio est factum. (6) In recitandis concionibus Christi, & doctrina de moribus longe fusior diligentiorque est Marco & Luca, ac plura habet miracula & facta Jesu, quam Marcus & Johannes, pauciora autem ac Lucas. (7) Omnium consensu primus evangelium literis consignavit.

III. OBJECTVM SCRIPTIONIS. Illi, in quorum usum Matthæus evangelium suum scripsit, sunt generatim omnes, præcipue vero Judæi, vid. ORIGENEM apud EVSEBIVM H. E. L. VI. c. XXV. propterea quoque illa potissimum argumenta adhibet, quæ apud Judæos demonstrationis instar erant, & quibus optime convinci poterant.

IV. LINGVA ORIGINALIS. Scriptum est a Matthæo lingua non hebraica s. syro-chaldaica, sed *græca*. Nam Matthæus in usum Judæorum in & extra Judæam degentium, ac gentium ad Christum conversarum evangelium suum exaravit, sine dubio ea lingua, quæ in universum iis nota fuit, talem autem tunc temporis græcam fuisse, supra P. II. N. VIII. p. 194. demonstratum dedimus. Hebraica nomina

mina, integrasque sententias interpretatur, vid. c. I. 23. XXVII. 33. 46. quod certe non fecisset, si ebraice scripsisset, & si translator illas interpretationes de suo adjecit, cur eas potissimum, & non etiam alias utraque lingua expressit? in locis ex V. T. citatis, versionem *יוו* LXX. plerumque sequitur. e. g. Matth. II. 6. Patres semper ad græcum textum recurrunt, & HIERONYMVS ad eundem versionem latinam emendavit, nam *præf. in IV. evang. T. III. Opp. p. m. 21. Hæc præfens*, inquit, *præfati uncula pollicetur IV. evangelia, quorum ordo est iste: Matthæus, Marcus, Lucas, Johannes, codicum græcorum emendata collatione, sed & veterum, nec quæ multum a lectionis latinæ consuetudine discreparent.* Ex quibus verbis constat, Hieronymum IV. evangelia, quæ apud Latinos depravatis exemplaribus habebantur, ad græcorum voluminum, eorumque veterum, fidem emendasse. Nulla quoque est ratio, cur non eadem Matthæus scripserit lingua, qua reliqui scriptores sacri sunt usi. Referunt quidem PAPIAS apud EVSEBIVM H. E. L. III. c. XXXIX. IRENÆVS *adversus hæreses* L. III. c. I. p. m. 199. ORIGENES apud EVSEBIVM H. E. L. VI. c. XXV. EPIPHANIVS *hæres.* IX. f. XXIX. L. I. T. II. p. m. 124. *hæres.* X. f. XXX. p. m. 127. HIERONYMVS *catal. script. eccles.* T. I. Opp. p. m. 171. *epist. ad Hedibiam* T. III. Qv. IV. p. 96. Qv. VIII. p. 98. *ep. ad Damasum* p. 84. T. IX. *præf. in Matth.* & THEOPHYLACTVS *præf. Comment. in Matthæum*, aliique Matthæum hebraica lingua scripsisse, at PAPIAS teste EVSEBIO H. E. L. III. c. XXXIX. homo fuit credulus & exigui iudicii, unde facile fieri potuit, ut evangelium illud ebraicum, quo usi sunt *Nazaræi*, pro authentico habuerit; & reliqui Papiam secuti, una cum illo errarunt.

Quod

Quod ad hoc evangelium attinet, fuit illud *syro-chaldaico sermone, at literis ebraicis scriptum, nam HIERONYMVS catal. script. eccl. T. I. Opp. p. m. 171. Evangelium, inquit, hebraicum habetur usque hodie in Cesareensi bibliotheca, quam Pamphylus martyr studiosissime confecit. Mibi quoque a Nazaræis, qui in Beroea, urbe Syriae, hoc volumine utuntur, describendi facultas fuit. Et L. III. adv. Pelagianos T. III. p. m. 200. In evangelio juxta Hebræos, quod chaldaico quidem syroque sermone, sed hebraicis literis conscriptum est, quo utuntur usque hodie Nazaræni secundum apostolos, sive, ut plerique autumant, juxta Matthæum, quod & in Cesareensi habetur bibliotheca, narrat historia &c. Nomen ipsi hæsit: Evangelium καὶ εβραϊκῶς, testibus HIERONYMO l. c. & ORIGENE Tr. VIII. in Matth. usi sunt illo Nazaræi s. Judæi, qui Christum quidem susceperant, Judaismo vero in magnum ipsius Christianismi præjudicium addicti erant, testibus EPIPHANIO *heres. VIII. f. XXVIII. p. 113. her. IX. f. XXIX. p. 124. HIERONYMO l. c. & EVSEBIO H. E. L. III. c. XXV. Et quod ebraicum hoc evangelium a textu nostro græco valde diversum fuerit, variæ evincunt rationes, nam HIERONYMVS illud in græcam & latinam transtulit linguam, vid. ejus catal. script. eccl. T. I. p. m. 170. & comment. in Matth. c. XII. T. IX. Opp. p. m. 30. hanc autem versionem græcam non confecisset, nisi a textu græco diversum fuisset, siquidem dudum ante Hieronymi tempora græcus textus evangelii Matthæi exstitit, & CLEMENS Romanus, BARNABAS, JUSTINVS & IRENÆVS illo usi sunt. HENR. VALESIVS in annot. ad Eusebii H. E. L. II. c. XXV. p. m. 47. observat: JULIANVM Pelagianum in libro IV. Hieronymum accusare, quod in Dialogo adversus*
Pela-*

Pelagianos usus sit testimonio quinti evangelii, i. e. evangelii secundum Ebræos. Et si testimonia & fragmenta illa, quæ de hoc evangelio in scriptis Patrum inveniuntur, perpendimus, nullus amplius dubitationi est locus. Nam EPIPHANIVS L. I. T. II. hæref. VIII. f. XXVIII. p. m. 113. *Matthæi, inquit, evangelio NON INTEGRO, sed ex parte duntaxat utuntur. Hæref X. f. XXX. p. m. 137. In eo, quod penes illos (Ebionitas) est, Matthæi evangelio, quanquam ne integrum quidem illud habent; sed ADVLTERATVM ac MVTILVM, idque ipsebraicum vocant, ita scriptum est. - - Et erat Johannes baptizans, & exierant ad eum Pharisei, & baptizati sunt, & omnis Hierosolyma. Ipse autem Johannes habebat vestimentum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos suos, & cibus ejus erat mel sylvestre, cujus sapor erat Mannæ similis, velut lagani frixi cum oleo. - - Porro Evangelium illorum sic incipit: Factum est in diebus Herodis Judææ, ut veniret Johannes baptizans baptismo pœnitentiæ. - - Baptizato populo venit & Jesus, & a Johanne baptizatus est. Cumque adscendisset ex aqua, aperti sunt cœli, & vidit spiritum Dei sanctum columbe specie descendentis & intrantis in sese. Et vox red-dita de cœlo, dicens: Tu es filius meus dilectus, in te mihi complacui. Et iterum: Ego hodie genui te. Statimque eo in loco lux ingens affulsit. Qua conspecta Johannes sic eum alloquitur: Tu quis es, Domine? Rursumque lapsa vox de cœlo: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui. Ad hæc Johannes ad ejus pedes accidens: Quæso, inquit, Domine, tu me ipse baptiza. At ille prohibebat eum, dicens: Sine, ita enim decet nos implere omnia. HIERONYMVSL. III. adv. Pelagianos T. III. Opp. p. m. 200. In evangelio, inquit, juxta Hebræos - narrat historia: Ecce mater Domini, & fratres ejus dice-*

dicebant ei: *Johannes Baptista baptizat in remissionem peccatorum, eamus, & baptizemur ab eo. Dixit autem eis: quid peccavi, ut vadam & baptizer ab eo? Nisi forte hoc ipsum, quod dixi, ignorantia est. Et in eodem volumine: Si peccaverit, inquit, frater tuus in verbo, & satis tibi fecerit, septies in die suscipe eum. Dixit illi Simon discipulus ejus: septies in die? Respondit Dominus, & dixit ei, etiam ego dico tibi, usque septuagies septies. Et ORIGENES Tr. VIII. in Matth. p. m. 73. Scriptum est, inquit, in evangelio quodam, quod dicitur secundum Hebræos. - - Dixit ad eum alter divitum: Magister! quid bonum faciens vivam? Dixit ei: Homo, leges & prophetas fac. Respondit ad eum: Feci. Dixit ei: Vade, vende omnia, quæ possides, & divide pauperibus, & veni, sequere me. Cœpit autem dives scalpere caput suum, & non placuit ei. Et dixit ad eum Dominus: Quomodo dicis, legem feci & prophetas? quoniam scriptum est in lege: diliges proximum tuum, sicut te ipsum, & ecce multi fratres tui, filii Abrahæ, amicti sunt stercore morientes præ fame, & domus tua plena est multis bonis, & non egreditur omnino aliquid ex ea ad illos. Et conversus dixit Simoni, discipulo suo, sedenti apud se: Simon, fili Joannæ, facilius est, camelum intrare per foramen acus, quam divitem in regnum cœlorum. Reliqua fragmenta lubens prætereo, collegit vero illa summo studio J. A. FABRICIUS, in cod. Apocrypho N. T. P. I. p. 339-370. Ex his autem testimoniis & fragmentis abunde liquet, quam diversum fuerit evangelium secundum Matthæum ebraicum a textu nostro græco, & quod proinde illud neutiquam evangelium Matthæi authenticum sit. Nam referunt Patres, qui putant, Matthæum ebraice scripsisse, quod textus noster græcus versio sit textus authenticus, & quod illam s. apostolus Jacobus*

bus, aut Johannes, (vid. MILLII N. T. p. m. 79.) s. vir quidam apostolicus confecerit. Quis vero sibi persuadebit, quod hujusmodi interpretes ab archetypi sui fide sciens prudensque discesserit, orbique Christiano versionem obtruderit, a genuino textu, qui ipsi ante oculos fuit, tam valde discrepantem? Adfunt autem & aliæ rationes, quæ jubent, quod evangelium illud ebraicum non pro authentico textu Matthæi habendum sit. Nam (1) HIERONYMVS, qui præ aliis ad hoc provocavit evangelium, postquam illud ad incudem revocavit, in dubio reliquit, an illud ipsum fuerit, quod Matthæum composuisse putavit? L. III. *adv. Pelag.* T. III. p. m. 200. *Evangelio, inquit, juxta Hebræos usque hodie utuntur Nazareni secundum apostolos, sive ut PLERIQUE autumant, juxta Matthæum.* ORIGENES Tr. VIII. in Matthæum p. m. 73. *Scriptum est, inquit, in evangelio quodam, quod dicitur secundum Ebræos, si tamen placet alicui suscipere illud, NON AD AVCTORITATEM, sed ad manifestationem propositæ questionis.* Et EUSEBIUS H. E. L. III. c. XXV. *In eundem, inquit, ordinem librorum omnium consensu probatorum jam a QUIBUSDAM relatum est evangelium secundum Hebræos, quo maxime delectantur Hebræi illi, qui Christi fidem susceperunt, & addit RUFINVS in sua versione: Sed in ecclesia illi contradicitur.* (2) HIERONYMVS evangelium Matthæi commentario illustravit, at non ebraicum illud, sed textum nostrum græcum. vid. T. IX. Opp. p. II. sqq. EPIPHANIVS sibi ipsi non constat, nam *hæres. IX. f. XXIX. p. m. 124. Est, inquit, penes Nazareos evangelium secundum Matthæum, hebraice scriptum, & quidem absolutissimum s. integerrimum. Hoc enim certissime prout hebraicis literis initio scriptum est, in hodiernum tempus conservant.* At *hæres. X. f. XXX. p. m. 137. In eo, inquit,*

inquit, quod penes illos sc Ebionitas est, Matthæi evangelio, quanquam ne integrum quidem illud habent, sed adulteratum ac mutilum, idque ipsum ebraicum vocant, scriptum est &c. Quod autem evangelium Nazaræorum & Ebionitarum unum idemque fuerit, nullus dubito, quamvis Celeb. FABRICIO in codice Apocrypho N. T. contraria se probet sententia. Nam EPIPHANIVS hæc. XXX. p. m. 125. Nazaræos, inquit, Ebion, a quo Ebionitæ dicti, proxime consequitur, eademque cum illis dogmata profitetur. Conf. D. LANGIUS Diss. IV. de Hæresi. Sec. I. p. 20. 27. sqq. (3) AMBROSIVS præf. comment. in Lucam T. V. Opp. p. m. 7. Sic, inquit, & nunc in N. T. multi evangelia scribere conati sunt, quæ boni numularii non probaverunt. Unum autem tantummodo in IV. libros digestum, ex omnibus arbitrati sunt eligendum. Et aliud quidem fertur evangelium, quod duodecim scripsisse dicuntur, quod sic dictum evangelium secundum Hebræos est; & THEOPHYLACTVS præf. in Lucam p. m. 146. Quinam fuerunt illi, qui evangelia scribere attentarunt? pseudapostoli. Multi enim tunc conscripserunt evangelia, uti est, quod vocant evangelium secundum Ægyptios, & quod inscribitur evangelium secundum duodecim. (4) Syriaca vetus Matthæi versio non de hebraico, sed de græco textu translata est, eoque evangelista Marcus & Clemens Alexandr. usi sunt. (5) Omnes quoque concedunt, evangelium hoc hebraicum periisse, si autem authenticum fuisset, Christiani, ebraicæ lingvæ gnari, illud conservassent, neque Deus interitum illius, ceu libri suo instinctu conscripti, & ad fidei morumque normam pertinentis, permisisset. Provo-
 cant quidem nonnulli ad subscriptionem versionis syriacæ subjectam, at illa tantummodo refert, Matthæum ebraice prædicasse, & P. II. N. XV. p.

p. 203. evictum dedimus, subscriptiones sublestæ esse fidei. Exstat quoque editio evangelii Matthæi ebraica Münsteriana, quæ prodiit Bas. 1537. 1557. 1582. & Par. 1551. & Tiliiana, quam ex Italia attulit *Job. Tilius*, & *Job. Mercerus* latine transtulit Par. 1555. 12 illam vero recentioris esse ætatis, inter omnes constat. Quum autem ita se res habeat cum evangelio Matthæi ebraico, luce meridiana est clarius, quod illud neutiquam evangelium Matthæi authenticum fuerit, & quod ille, qui hoc evangelium conscripsit, authenticum Matthæi evangelium quidem secutus sit, at plurima addiderit, quædamque omiserit.

V. LOCUS, QVO SCRIPTUM EST. Referunt quidem subscriptiones quædam evangelio Matthæi subjectæ, & Patres nonnulli Matthæum in Palæstina, & quidem Hierosolymis evangelium suum exarasse, vid. MILLII N. T. p. m. 79. at hæc testimonia incerto innituntur fundamento.

VI. TEMPUS SCRIPTIONIS. Secundum EVSEBIUM H. E. L. III. c. XXIV quem secuti sunt EVTHYMIUS & THEOPHYLACTUS *præf. comment. in Matthæum* p. m. 1. est annus VIII. post ascensionem Christi in cælum, & negari nequit, omnium fere græcorum codicum MSS. *υπογραφας* annum hunc constituere. vid. MILLII N. T. l. c. Secundum auctorem *Chron. Alexandr.* p. m. 500. & 531. & NICEPHORVM H. E. L. II. c. XLV. p. m. 213. annus XV. post ascensionem Jesu Christi. Et secundum IRENÆVM, qui sec II. floruit, & cui propterea præ aliis fides habenda est, A. æræ vulg. (v. App. §. I) LXI. f. LXII. nam ille L. III. *adv. heres. c. I* p. m. 199. *Matthæus*, inquit, *in Hebræis ipsorum lingua scripturam edidit evangelii, cum Petrus & Paulus Ro-*
ma

mæ evangelizarent, & fundarent ecclesiam, post vero horum excessum Marcus discipulus & interpres Petri, & ipse, quæ a Petro annuntiata erant, per scripta nobis tradidit, quod testimonium etiam ab EVSEBIO H. E. L. V. c. VIII. allegatur. Quæritur, quid IRENÆVS intelligat per excessum, græc. ἰον ἐξόδου, an exitum e vita, aut egressum ex urbe Roma. Prior explicatio admitti nequit, ceu constat ex iis, quæ traduntur Membr. II. p. 260. & propterea posterior eligenda est. Forsitan Petrus, postquam Paulus captivus Romam deductus est, eandem urbem adiit, ut Pauli innocentiam defenderet. Quod si verum, scriptum est evangelium Matthæi anno æræ vulgaris LXI. f. LXII. vide App. §. XXXVII. Certum est, Matthæum non post, sed ante excidium Hierosolymitanum evangelium suum scripsisse, nam illius non meminit, prædictionem ejus, a Christo factam, referens.

VII. OCCASIO. Hanc dedit (1) desiderium, ea, quæ de nativitate, dictis, factis, passione, morte & resurrectione Jesu Christi scitu necessaria sunt, ad posteros propagare. (2) Amor in Judæos non credentes, Jesum Nazarenum verum esse a Deo promissum Messiam. (3) Falsa relatio ab hostibus Christi disseminata, cui obex ponendus erat. (4) Copia fictarum de Christo relationum, quæ lapsu temporum Christianæ fidei magis obesse, quam prodesse poterant.

VIII. ARGUMENTVM. Hoc cum reliquis idem est, ac legitur Act. I. 1. 2.

IX. SCOPVS. (1) Historiam de Jesu Christo infallibilem & sufficientem tradere. (2) Demonstrare, Jesum Christum Nazarenum verum esse Messiam, propterea, quod omnia vaticinia in eo

complementum habeant. (3) Judæos incredulos ad fidem in Jesum perducere. (4) Credentes in fide confirmare, eosdemque excitare, vestigia Jesu Christi strenue premere. Joh. XX. 30. 31. Phil. II. 5. 1 Petr. II. 21-23. 1 Joh. II. 6.

X. PARTITIO. Describitur capp. XXVIII.

- I. Christi genealogia & nativitas. c. I.
- II. Adventus magorum & fuga Christi in Ægyptum, ac reditus in Judæam. c. II.
- III. Præcursor. c. III.
- IV. Tentationes, conciones & miracula. c. IV-XXV.
- V. Passio & mors. c. XXVI. XXVII.
- VI. Resurrectio. c. XXVIII.

XI. LOCA NOTATA PRÆCIPVE DIGNA.

C. I. 21. 23. III. 8-10. 12. 16. 17. IV. 4. V. 3-12. 16. 20. 23. 24. 28. 32. 37. 38. 40. 42. 44-48. VI. 1. 6-15. 19-21. 24. 25. 32. 33. VII. 7-19. 21-23. VIII. 11. 20. IX. 13. 37. 38. X. 16. 19-22. 26-28. 32-40. 42. XII. 20. 34-36. 49. 50. XIII. 12. 19. 43. XV. 8. 9. 14. 19. XVI. 24-26. XVII. 20. XVIII. 3. 6. 7. 10. 11. 15-20. 22. XIX. 6. 14. 23. 29. XX. 25. 28. XXI. 21. 22. 31. 43. 44. XXII. 11-13. 16. 30. 37-40. XXIII. 37. XXIV. 9. 35. 42. XXV. 21. 31-46. XXVI. 24. 26-28. 38-41. XXVIII. 18-20.

XII. LOCA DIFFICILIORA. C. I. 3. græc. (coll.

1 Par. II. 9.) 8. (coll. 1 Par. III. 11. 12.) 11. (coll. 1 Par. III. 15. 16.) 12. (coll. 1 Par. III. 17-19. & 2 Reg. XXV. 29.) 13. (coll. 1 Par. III. 19.) 17. 19. 25. II. 2. 18. 23. III. 4. 7. 11. 15. IV. 1. 10. 11. (coll. Luc. IV. 8. 9.) V. 3. 19. 22. 29. 34. 43. VI. 2. 3. 22. 23. 34. VII. 6. VIII. 4. 12. 22. X. 8-10. 13. 23. 25. 34. 41. XI. 7. 8. 11-13. 18. 19. 21-23. 27-30. XII. 8. 28. 31. 32. 43-45. XIII. 11. 12. 52. 58. XV. 5. XVI. 3. 18. 19. 28. XVII. 2. 25. XIX. 8. 11. 12. 17. 24. 28. XX. 16. 23. 30. (coll. Luc. XVIII. 3.) XXI. 9. XXIII. 3. 9. 10. 15. 17. (coll. c. V. 22.) 23. 24. 35. 39. XXIV. 20. 24. 30. XXVI. 64-XXVII. 9. 44. coll. Luc. XXIII. 39.) XXVIII. 8.

MEMBRUM II.

DE EVANGELIO MARCI.

I. INSCRIPTIO. TO KATA MAPKON ETATTE-
AION.

II. AUCTOR. Non Petrus, sed *Marcus* hanc historiam evangelicam consignavit, nam inscriptio evangelii hujus per omnia secula servata, Marco, ceu vero auctori, historiam hanc evangelicam tribuit, & in eadem sunt sententia Patres tantum non omnes. De Marco autem sequentia observanda sunt:

A) *Prosapia.* Pseudo-HIERONYMVS *præf. ad Marcum* T. IX. p. m. 71. refert, fuisse hunc virum leviticum genere & sacerdotem.

B) *Nomen.* Marcus nomen est origine *latinum*. Forfitan ipsi a parentibus *hebraicum* nomen inditum est, quod postea in gratiam Romanorum & ob iter in Italiam susceptum cum *latino* commutavit, nam Judæi, quando partes Asiæ interioris, aut Europam adierunt, ad judaicum nomen alterum adsciverunt græcum aut romanum, cujus consuetudinis exemplum habemus in Barfabā, qui dictus est Justus, & Simeone, qui vocatus est Niger. Fit alius Marci mentio, cognomine Johannis. Act. XII. 12. XV. 37. Col. IV. 10. Quum autem scriptor hic sacer a veteribus Johannes nunquam, Marcus semper dicatur, & Petri individuus comes ita constituatur, ut Pauli & Barnabæ nulla injiciatur mentio, sine dubio ab illo diversus est.

C) *Conversio.* Patres referunt, quod a Petro ad fidem in Christum adductus sit, & huic sententiæ favet
S 4 appellatio

appellatio illa, qua a Petro filius suus appellatur.
 1 Petr. V. 13. coll. 1 Cor. IV. 15. Gal. IV. 19.
 Philem. v. 10.

D) *Singularia.* (1) Non fuit discipulus Christi, cum ille adhuc inter mortales vixit, quamvis EPIPHANIVS L. II. T. I. *adv. her.* XXXI. f. LI p. m. 428. & NICEPHORVS H. E. L. II. c. XLV. p. m. 213. contrarium referant, nam alias Petrus eum 1 Ep. c. V. 13. non filium, sed fratrem appellasset, & PAPIAS, teste EVSEBIO, H. E. L. III. c. XXXIX. refert, Marcum Christum non vidisse

2.) Cum Petro potissimum versatus est, ex cujus ore etiam historiam evangelicam procul dubio percepit, & hanc ob rationem probabiliter evangelium, quod edidit, a Patribus quibusdam evangelium Petri dictum est.

3.) Quidam veterum referunt, quod a Petro in Ægyptum missus, *episcopi* munus obierit, quod postea quasdam Africæ regiones peragraverit, & quod Alexandriam reversus a plebe catenis vinctus, & per asperrima locorum distractus, vita privatus sit, quam tamen relationem alii in dubium vocant, quia testes iusto sunt recentiores.

4.) Stilo utitur perspicuo, vivido & ebraismis præ aliis largiter tincto.

5.) Magna est inter evangelium Marci & Matthæi convenientia; nam quædam studio ex ejus narratione in brevem summam collegit, eodem ordine ea recitans, & alicubi etiam verba sequens. At Marcum Matthæi non esse breviatorem, ut sentit AVGVSTINVS L. I. de *consensu evangelistarum* c. II. variæ evincunt rationes, nam () multa facta multo prolixius & majori circumstantiarum apparatu enarrat ac Matthæus. vid. Marc. I. 21-45. VI. 14. sqq. XIV.

66. fqq. 2) Quædam refert, quæ Matthæus plane omisit. vid. C. III. 19. V. 31. VI. 1. VII. 31. fqq. IX. 23. XI. 15. (3) Nonnullas res maximi momenti omisit, quas Matthæus fufe refert. e. g. Matth. I-III. V-VII. (4) Non illum, quem Matthæus, ordinem ubique tenet.

6.) Abnegationem Christi a Petro factam prolixius, quam ceteri, descripsit, quod forsitan ideo factum, quia ab ipso Petro historiam hanc accepit, quæ quoque est sententia CHRYSOSTOMI *homil. LXXXVI. in Matth. p. 889.* Notatū autem dignum est hoc facinus Marci, nam alias discipuli vitia magistrorum silentio premere solent, aut excusationem prætexere.

7.) Incipit evangelium suum vaticinio plane illustri Malachiæ, ultimi prophetarum

III. OBJECTVM PERSONALE. Scripsit præcipue in usum *ecclesiæ occidentalis*, quæ præcipue *gentibus conversis* constitit; & propterea silentio præterit genealogiam Jesu Christi, & talibus utitur demonstrationibus, quibus & gentiles & Judæi poterant convinci.

IV. LINGVA, QVA A MARCO SCRIPTVM EST. Quod non lingua latina, sed *græca* a Marco exaratum sit, constat ex testimonio totius antiquitatis, & præcipue HIERONYMI & AVGVSTINI T. IV. Opp. p. m. 372. *Pseudo-DAMASVS* quidem in *Pontificali* contrarium asserit, vid. FABRICII *Biblioth. græcam* L. IV. c. V. p. 131. at illius scriptoris neutiquam tanta est auctoritas, ut ei assentiendum sit contra silentium & contraria veterum testimonia. Provocant quoque nonnulli ad GREGORIVM *Nazianzenum*, & versionem syriacam, hæc autem modo perhibet, Marcum latine prædicasse, & ille tantum refert, Marcum *ἰταλῆν* h. e. in usum Christianorum in Italia scripsisse,

psisse, quis autem nescit, Paulum quoque ad Romanos, at non latina sed græca scripsisse lingua?

V. LOCUS, QVO SCRIPTUM. Secundum testimonia Patrum quorundam Romæ consignatum est. vid. N. VII.

VI. TEMPUS, QVO CONSIGNATUM. Quibusdam est annus X. post adscensionem Jesu Christi, s. annus æræ vulg. XL. aliis autem LXIII. & hi nituntur testimonio IRENÆI, quod adductum est Membr. præced. N. VI. Nam Irenæus perhibet, Marcum scripsisse post exitum Petri & Pauli ex urbe Roma, ille vero accidit anno æræ vulg. LXIII. v. App. §. XLII. Et quod omnino testimonio Irenæi magna sit habenda fides, negari nequit, siquidem temporibus apostolorum proximus fuit. Quicquid sit, certum est, Marcum scripsisse (1) postquam Matthæus evangelium suum edidit, nam harmonia horum scriptorum est manifesta; & (2) post abitum apostolorum ad gentes. vid. c. XVI. 20.

VII. OCCASIO. PAPIAS Hierapolitanus episcopus, & CLEMENS Alexandrinus teste EVSEBIO H. E. L. II. c. XV. HIERONYMVS *catal. script. eccles.* T. I. Opp. p. m. 173. & in *epist. ad Pammachium* T. II. p. m. 212. ac THEOPHYLACTVS *præf. ad evangelium Marci* p. m. 47. referunt, quod Marcus petitis Christianorum Romæ viventium, & doctrinam Christi ex ore Petri perceptam, exscriptam possidere flagrantium, adductus, historiam hanc evangelicam conscripserit, & quod Petrus postea illam sua auctoritate confirmaverit, & in conventibus publicis legendam constituerit.

VIII. SCOPVS SPECIALIS. Ille est, demonstrare, *Jesum esse verum Messiam & prophetam a Deo*

Deo promissum, ex editis ab ipso miraculis.

IX. PARTITIO. Describitur capp. XVI. quid Jesus fecerit

I. In *Galilea*. c. I-X.

II. In *Judea*, & præcipue Hierosolymis. XI - fin.

X. LOCA NOTATA PRÆCIPVE DIGNA.

C. I. 13. 17. IV. 18. 19. V. 19. VI. 20. VIII. 38. IX. 23. 24. 25. X. 27. XII. 29. 31.

XI. LOCA DIFFICILIORA. C. I. 24. 27. 44. II. 26.

(coll. 1 Sam. XXI.) 27. III. 5. (coll. Jac. I. 20.) 17. 21. IV. 11. 12. V. 1. 2. (coll. Matth. VIII. 28.) 9. 18. 19. 43. VI. 3. 5. 8. & 9. (coll. Matth. X. 10.) 13. VII. 27. VIII. 10. (coll. Matth. XV. 39. IX. 2. (coll. Luc. IX. 28.) 13. IX. 23. 24. 44. 49. 50. X. 21. 35. (coll. Matth. XX. 20.) 46. (coll. Matth. XX. 29. 30. & Luc. XVIII. 35.) XI. 7. (coll. Matth. XXI. 7.) 13. 23. XIII. 11. 20. 22. 21-26. 32. XIV. 30. (coll. Matth. XXVI. 34.) 35. 38. 66. 71. (coll. Matth. XXVI. 69-74. Luc. XXII. 55-60.) XV. 25. (coll. Joh. XIX. 14.) 24. (coll. Joh. VIII. 21. XVI. 32.) XVI. 1. (coll. Luc. XXIII. 56.) 5. (coll. Luc. XXIV. 4.) 8. (coll. Luc. XXIV. 9.) 9. (coll. Matth. XXVIII. 9. Luc. XXIV. 10.) 16. (coll. Rom. XI. 32.)

MEMBRUM III.

DE EVANGELIO LUCÆ.

I. INSCRIPTIO. ΤΟ ΚΑΤΑ ΛΟΥΚΑΝ ΕΥΑΓΓΕΛΙΟΝ.

II. AUCTOR. Quod a *Luca* consignatum sit, variæ jubent rationes, nam (1) inscriptio in omnibus codicibus obvia Lucam auctorem refert; (2) antiquissimæ versiones & Patres orthodoxi Lucam auctorem constituunt; & (3) ex collatione stili & præfatione huic evangelio & actibus præmissa constat, evangelicam hanc historiam a Luca profectam esse. Quod autem ad hunc virum attinet, notandum est

I. No-

- A. *Nomen ejus.* Lucas est nomen *origine latinum*, & optime derivatur a luce. Appellatur quoque in quibusdam inscriptionibus *Lucus & Lucius*, terminatione *as* sine dubio pro more græcorum in *os* & *ios* mutata; a Paulo vero constanter Lucas nominatur, vid. Col. IV. 14. 2 Tim. IV. 11. Philem. v. 24. & propterea procul dubio diversus est ab illo *Lucio*, cujus fit mentio. Rom. XVI. 21.
- B. *Ortus.* EVSEBIUS H. E. L. III. c. IV. & HIERONYMUS *catalogo scriptorum eccles.* T. I. Opp. p. m. 172. referunt, Lucam natione fuisse *Syrum Antiochensem*.
- C. *Conversio.* A Paulo fortasse una cum multis Antiochiæ habitantibus ad Christum est conversus. Act. XI. 20. 21.
- D. *Singularia.* (1) Fuit bonis literis imbutus, ceu patet ex stilo terfo & eleganti (2) In juventute *medicinæ* se dedit, nam a Paulo Col. IV. 14. medicus appellatur, & quod Lucam evangelistam respiciat, jubet consideratio temporis, quo scripta est hæc epistola, consignata enim est a Paulo Romæ in vinculis prioribus, quod autem Lucas in illis Paulo adhæserit, patet ex Act. XXVIII. 14. Ad stipulantur huic sententiæ EVSEBIUS l. c. HIERONYMUS l. c. AMBROSIAS ad Col. IV. 14. Opp. Ambrosii T. V. CHRYSOSTOMUS ad l. c. opp. p. m. 580. THEODRETUS ad l. c. T. II Opp. p. m. 164. & *Auctor CHRONICI Alex.* p. m. 531. Quod autem *artis pictoriæ* fuerit peritus, merito inter fabulas refertur, nam in S. S. & in scriptis Patrum nihil de hac arte pictoria relatum legimus. (3) Secundum quosdam *morte violenta* obiit, & quidem Romæ, secundum alios autem *morte naturali.* (4) Individuus Pauli fuit comes, ab eo

eo tempore, quo apostolus in Macedoniam profectus dicitur. Nam Lucas, qui antea de Paulo & ejus comitibus in tertia persona locutus fuerat, hic demum de illis in prima persona loqui incipit. Act. XVI. 10. 11. conf. Col. IV. 14. Philem. v. 23. 24. 2 Tim. IV. 11. (5) Non est testis *αὐτοπῆς*, sed evangelicam historiam ab apostolis Jesu Christi traditam accepit, Luc I. 2. 3. & hoc suo calculo comprobant EVSEBIVS H. E. L. III. c. XXIV. TERTVLLIANVSL. IV. *adv. Marc.* c. II. p. m. 401. & THEOPHYLACTVS *comment. in Lucam* p. m. 146. EPIPHANIVS *autem hæres. LI.* & NICEPHORVS *Hist. Eccl.* L. II. c. XLV. p. m. 213. perhibent, Lucam unum ex LXX. discipulis Jesu Christi fuisse (6) Inter omnes evangelistas græci sermonis fuit eruditissimus, (vid. HIERONYMI *ep. ad Damasum* T. III. p. 84. & *ad cap. VI, Jesaiæ*) *ἀσκησάτος* inde dictus. (7) Stilo utitur puro, claro, fluido, comto, eleganti, & historico dignissimo, admiscet tales formulas, quæ Syrum auctorem produnt, & multas retinet loquendi formulas LXX. Interpretibus familiares, quorum versionem ubique sequitur. (8) Conceptionem & nativitatem Johannis a reliquis omissam enarrat, & conceptionem & nativitatem Jesu Christi uberius quam reliqui describit. (9) Ordinem rerum gestarum se accurate observasse profitetur c. I. 3. (10) Plura facta & miracula Christi refert, quam reliqui evangelistæ, at non perinde plenas conciones ut Matthæus. (11) Scripsit duos libros historiæ evangelicæ, alterum de exhibitio & illustrato Messia, alterum de origine sive institutione regni eius, aut ecclesiæ in hoc mundo.

III. **TEMPVS ET LOCVS, QVO SCRIPTVM EST.** Quibusdam est annus post adscensionem Jesu Christi XV. aliis annus XXII. aliis annus XXVII. & reliquis & quidem plurimis ille articulus temporis, cum una cum Paulo in Achaja (vid **HIERONYMV M præf. in Mattheum** T. IX. Opp. p. 11.) commoratus fuit. Forsitan vero Lucas evangelicam hanc historiam literis exaravit Romæ anno æræ vulg. LXI. s. LXII. Nam Acta Apostolorum consignavit anno æræ vulg. LXIII. vid C. II. N. III. quod autem non diu ante evangelium suum ediderit, omnes concedunt, siquidem Acta Evangelio statim subjungit.

IV. **PERSONA, IN CVJVS VSV M POTISSIMVM SCRIPTVM EST.** Ille est *Theophilus*, c. I. 3. qui sine dubio fuit vir in dignitate constitutus, & forte magistratum tenens, siquidem a Luca *καταλιτος* appellatur, quæ erat appellatio præfidum Romanorum. Act. XXII. 26. XXIV. 3.

V. **OCCASIO.** Hæc legitur c. I. 3.

VI. **SCOPVS SPECIALIS.** Theophilo ac toti ecclesiæ tradere historiam de Jesu Christo fide dignam, & justo ordine elaboratam, & demonstrare, quod *Jesus Christus, filius DEI, sit Messias ac verus homo ex patribus oriundus.*

VII. **PARTITIO.** Continetur capp. XXIV.

I. Johannis nativitas. c. I.

II. Christi nativitas & juvenus. c. II.

III. Baptismus & genealogia c. III.

IV. Tentatio & acta in Galilæa. c. IV-IX.

V. Acta in itinere Hierosolymitano. c. X-XVIII.

VI. Acta in Judæa & Hierosolymis. c. XIX-XXI.

VII. Passio & mors. c. XXII. XXIII.

VIII. Resurrectio & adscensio in cœlum. c. XXIV.

VIII.

VIII. LOCA NOTATV PRÆCIPVE DIGNA.

C. I. 31-35. 37. 45-55. 74. 75. 77-79. II. 10. 11. 13. 14. 19. 21. 28-32.
51. 52. IV. 13. 18. 19. VI. 12. 20-26. 36. 46. 48. VII. 30. 37. 38.
VIII. 12. 15. X. 20. XI. 13. XII. 17. 21. 32. 35. 36. 47. 48. XIII. 7-9.
24. 29. XIV. 26. 33. XV. 2. 10. XVI. 15. 31. XVII. 10. XVIII.
1. 7. 8. 13. 14. XIX. 8. 27. 41. XXI. 17. 28. 34-36. XXII. 21. 31. 32.
XXIII. 34. 42-44. XXIV. 46. 47. 49.

IX. LOCA DIFFICILIORA. C. I. 6. 15. 17. 67.

(coll. Joh. VII. 39.) 69. 78. II. 2. 34. (coll. Hebr. VII. 7. Luc.
IX. 56.) 35. 49. III. 22. 23. 38. VI. 1. 14. (coll. Matth. XIX. 17.)
VII. 2. (coll. Matth. VIII. 5.) 47. IX. 50. (coll. Matth. V. 22.)
41. (coll. 1 Cor. XIII. 3.) 53. XII. 32. 40. 50. XIII. 32. 33. XIV.
12. 26. (coll. Eph. V. 25.) XV. 7. XVI. 9. 12. XVII. 20. XVIII.
14. XXI. 31. (coll. c. IV. 17.) XXII. 19. (coll. Marc. X. 40.) 30. 36.
(coll. Matth. XXVI. 52.) 43. XXIII. 17.

MEMBRVM IV.

DE EVANGELIO JOHANNIS.

I. SEDES. Evangelium Johannis in omnibus
codicibus sequitur evangelia a Matthæo, Marco &
Luca consignata, quia Johannes postremus omnium
illud exaravit.

II. INSCRIPTIO. ΤΟ ΚΑΤΑ ΙΟΑΝΝΗΝ ΕΥΑΓΓΕ-
ΛΙΟΝ.

III. AVCTOR. Quod *Johannes* hoc evangelium
consignaverit, liquet ex cap XXI. 14. coll. v. 20.
Ad unum omnes quoque Patres hoc evangelium
Johanni tribuunt, & inscriptio, quam N. II. refert,
in omnibus codicibus & versionibus antiquissimis
apparet.

De Johanne autem sequentia observanda veniunt:

A. *Significatio nominis.* Johannes, nomen origine
ebraeum, gratia affectum s. Deo gratum denotat.

B. *Ortus.* Judeus fuit, & patrem habuit Zebe-
dæum

dæum, virum *Galileum*, Matth. X. 2. ac *matrem Salomen*, Matth. XXVII. 56. coll. Marc. XV. 40. XVI. 1. diversam a Maria Salome, cujus fit mentio Joh. XIX. 25. *Frater* ejus fuit *Jacobus major* dictus, Luc. VI. 14. 15. qui jussu Herodis capite truncatus est, quod etiam innuit **HIERONYMVS** *catal. script. eccles.* T. I. Opp. p. m. 174.

C. *Vitæ genus ante vocationem* Fuit piscator, Matth. IV. 21. & quidem probabiliter non infimæ fortis, nam parentibus opes non defuere, siquidem mater ejus illis annumeratur mulieribus, quæ Jesu Christo victum suppeditarunt, Luc. XVIII. 3. Marc. XV. 41. & Johannes *Ja idia* habuit, in quæ matrem Jesu recepit. Joh. XIX. 27. For- sitan inde factum, quod ipse fraterque ejus sibi a Christo primatum s. sessionem ad dextram & sinistram Christi expetierint. Matth. XX. 20. 21. Marc. X. 35-41.

D. *Conversio & vocatio ad Apostolatam.* Illa legi- tur Matth. IV. 21. & hæc Luc. VI. 13. 14.

E. *Singularia.* (1) Perfervido fuit animo, Luc. IX. 54. gratiâ vero Spiritus sancti quam maxime mansuetus redditus est. (2) Christus illum fra- tremque Jacobum *Βοαεργης* appellavit, Marc. III. 17. quæ vox, e syriaca lingua formata, signi- ficat *viuus βρονης*, filios tonitru s. fulmina, i. e. tonantes, fulminantes; insignivit autem Chri- stus illos hoc nomine vel ob perfervidum, quo fuerunt, animum, Luc. IX. 54. vel quia illis daturus erat sonoram vocem, qua tonarent in toto orbe, s. ob effectum ministerii quasi tonan- tis, aut quia in officio apostolico fulminaturi erant singulari cum doctrinæ pondere & effica- cia. Conf. Ps. XXIX. 3. LXVII. 3. 4. Hagg. II. 6. 7. (3) Oculis suis conspexit Jesum Chri- stum

stum transfiguratum, Matth. XVII. 1. in summa
 lucta constitutum, c. XXVI. 37. cruci adfixum,
 Joh. XIX. 26. a mortuis resuscitatum, c. XX. 2.
 XXI. 7. & in cœlum ascendentem. Act. I. 2. 9.
 12. 13. (4) A Christo tenerrimo dilectus est
 amore, quapropter & in cœnis in pectus Christi
 incubuit, & nomine discipuli, quem Christus
 amat, appellatur. Joh. XIII. 23. (5) Unus ex
 primariis apostolis fuit, nam a Paulo appellatur
columna ecclesie, Gal. II. 9. quod documento
 est, Johannem præclarissimis donis excelluisse.
 quamvis *αγραμματος & ιδιωτης* fuerit. vid Act.
 IV. 13. (6) Fuit & evangelista, & apostolus,
 & propheta. (7) Reliquis discipulis metu lati-
 tantibus, stetit sub cruce Christi, insignem suum
 erga ipsum amorem testatus. Joh. XIX. 26.
 (8) Christus ipsi matrem suam commendavit,
 quam quoque in tutelam suam recepit. Joh.
 XIX. 21. 26. (9) Primus ex numero discipulorum
 ad sepulcrum Jesu Christi venit post ejus *αναστα-
 σιν*. Joh. XX. 2. (10) CLEMENS Alexandri-
 nus apud EVSEBIUM H. E. L. III. c. XXIII.
 EVSEBIUS H. E. L. III. c. XVIII. & in *Chronico*
s. Thesouro temporum p. m. 164. HIERONY-
 MVS *catal. script. eccles.* T. I. Opp. p. m. 174.
 & *Auctor CHRONICI Alexandrini* p. m. 591. &
 593. referunt, quod imperante Domitiano in
 insulam Ægæi maris, cui Patmus nomen, &
 cujus STRABO meminit L. X. p. m. 747. fuerit
 relegatus, & post mortem illius Ephesum rever-
 sus sit. (11) Sub finem seculi primi, aut sub
 initium seculi secundi morte sua annis nonaginta
 major obiit, munere apostolico annos circiter
 LXX. functus, nam IRENÆVS, qui seculo II.
 floruit, testatur L. II. *adv. heres.* c. XXXIX.
 p. m. 161. L. III. c. III. p. m. 205. Johannem
 T vixisse

vixisse ad tempora Trajani, qui anno æræ vulgaris XCVIII. imperator creatus est. HIERONYMVS *catal. script. eccles.* T. I. Opp. p. m. 174. refert, Johannem A. LXVIII. post passionem Jesu Christi diem obiisse supremum; Et *Auctor Chronici Alexandrini* p. m. 595. perhibet, Johannem post assumptionem Domini nostri Jesu Christi LXXXII. annos vixisse. Et si proinde annos triginta natus apostolus a Jesu Christo constitutus est, sub finem seculi primi, aut initium secundi superna adiit. *Auctor Chron. Alex.* l. c. *Ajunt*, inquit, *Johannem, cum vixisset annos C. menses VII. in Domino obdormisse.* (12) Pauca Jesu Christi miracula, & in his duo tantum, apud reliquos commemorata, refert, & sermones a Jesu Christo habitos, præconceptas opiniones Judæorum, quæ receptionem Jesu ejusque doctrinæ impediverunt, & refutationem illarum a Jesu datam, uberius, quam reliqui evangeliorum scriptores, enarrat. (13) *Ordinem* historiæ accurate observavit, & Paschata sollicitè distinxit. (14) *Stilo* utitur plane *singulari, puro, claro, gravi, sublimi ac suaviter*, cum singulari dulcedine lectoribus se insinuante, & delectatur multis explicationibus, periphrasibus, copulativis, repetitionibus vocum & antithesibus, habet quoque voces & phrasas, sibi quasi proprias, ac certas sententiarum appendices. Conf. P. II. Sect. II. Cap. II. Membr. III. N. V. (15) Non sequitur versionem LXX. Interpretum, sed textum authenticum.

IV. TEMPVS ET LOCVS, QVO SCRIPTVM EST. Sunt, qui cum THEOPHYLACTO putant, Johannem ante *excidium Hierosolymitanum* scripsisse, & illi provocant ad c. V. 2. siquidem illo loco Johannes de piscina Bethesda, tanquam de
re

re etiamnum exstante loquatur, ac constituunt annum CHRISTI LXIV. quem quoque annum multæ veterum codicum MSS. subscriptiones innuunt. vid. MILLIEN. T. p. m. 308. Alii autem in ea sunt sententia, Johannem *post reditum ex Pathmo Ephesi* evangelium suum exarasse, & illi innituntur testimoniis IRENÆI L. III. *adv. hæres.* c. I. p. m. 199. & EPIPHANII *hæres.* XXXI. f. LI. p. m. 434. & designant annum æræ vulgaris XCVI. f. XCVII. Ex Apoc. I. 2. coll. Joh. XXI. 24. verosimile est, Johannem evangelium ante editam Apocalypsin exarasse. vid. Apoc. I. 2. coll. Ev. XXI. 24.

V. OCCASIO. (1) Desiderium Johannis, ea, quæ de Christo ab aliis demonstrata erant, ceu testis *αποπληης* confirmare, & ea, quæ in tanta miraculorum ac sermonum ipsius copia prætermissa fuerunt, adjicere. vid. EVSEBIVM H. E. L. III. c. XXIV. HIERONYMVM *catal. script. eccles.* T. I. p. 174. THEOPHYLACTVM *præf. in Matthæum* & NICEPHORVM H. E. L. II. c. XLV. p. m. 213. Hoc autem reliquorum evangeliorum divinæ auctoritati nihil derogat, nam ipse Johannes testatur, suo quoque evangelio multa posse addi. c. XXI. 25. (2) Serpens illo jam tempore hæresis, Christi divinam negans naturam, propterea quoque statim ab initio demonstrat, Jesum verum esse Deum, & illum Johanni Baptistæ, Mosi & Abrahamo præfert, & in hac sunt sententia IRENÆVS L. III. *adv. hæres.* c. XI. p. m. 218. CLEMENS Alexandrinus apud EVSEBIVM H. E. L. VI. c. XIV. EPIPHANIVS *hæres.* XXXI. f. LI. T. I. p. 434. EVSEBIVS H. E. L. III. c. XXIV. & HIERONYMVS, *catalogo script. eccles.* p. 174. qui *præf. in Matthæum* T. IX. Opp. p. 11. addit: *coactus est ab omnibus pene tunc Asiæ episcopis, & multarum ecclesia-*

ecclesiarum legationibus, de divinitate Salvatoris alius scribere. (3) Studium, interiora Christianismi aperire, eaque Christianis, ceu cibum ad finem mundi sufficientem, offerre.

V. SCOPVS SPECIALIS. Ille est, demonstrare: *Jesum Nazarenum esse verum Deum ac Messiam sive Christum.*

VII. PARTITIO. Describuntur capp. XXI. præmissio prologo

I. Officium Johannis Baptistæ. c. I. 15-34.

II. Acta Christi usque ad *primum Pascha* in officio celebratum. c. I. 35-II. 1-13.

III. A *primo Paschate* usque ad *secundum*. c. II. 14-IV. 1-fin.

IV. A *secundo Paschate* usque ad *tertium*. c. V-VI.

V. A Paschate *tertio* usque ad *quartum*. c. VII-XVII. 1-fin.

VI. Historia passionis c. XVIII. XIX. & resurrectionis Jesu Christi. c. XX. XXI.

VIII. LOCA NOTATA PRÆCIPVE DIGNA.

C. I. 1-3. 12-14. 16-18. 29. II. 25. III. 5. 6. 14-21. 25. 36. IV. 24. 34. V. 17. 22-24. 28. 29. 39. 44. 46. VI. 29. 35. 37. 40. 44. 54. 55. 68. VII. 17. 37-39. VIII. 12. 29. 34. 36. 44. 46. 47. IX. 31. X. 11. 18. 27-30. XI. 25. 26. XII. 26. 35. 41-43. 48. 50. XIII. 17. 35. XIV. 6. 15-17. 19. 21. 23. 26. 27. XV. 1. 2. 4. 5. 13. 14. 16. 18-21. 22. 26. XVI. 2. 7. 8. 13-15. 20. 22. 23. 27. 33. XVII. 3. 10. 17. 23. 24. XVIII. 36. XIX. 11. XX. 17. 22. 23. 28. 29. 31. XXI. 15.

IX. LOCA DIFFICILIORA. C. I. 9. 15. 18. (coll. Jes.

VI. 1. sqq.) 21. (coll. Matth. XI. 19. 51.) II. 4. 10. 19. 20. III. 13. 17. 18. (coll. 2 Theff. II. 12.) 31. 34. IV. 4. 14. V. 4. 19. (coll. Joh. X. 18.) 22. (coll. Joh. VIII. 15.) 24. (coll. 2 Cor. V. 10.) 31. (coll. Joh. VIII. 14.) 34. (coll. Joh. XV. 17.) 35. 37. (coll. Matth. III. 17.) VI. 6. 45. 50. (coll. v. 49.) 63. VII. 8. (coll. v. 10.) 24. 27. (coll. 41. 42.) 38. 39. VIII. 5. (coll. Lev. XX. 10.) 56. 58. IX. 3. 31. 41. X. 8. XI. 1. 4. (coll. v. 14.) 9. 38. 40. 51. 52. XII. 25. 31. 32. XIII. 14. 15. 27. 31. XIV. 2. (coll. Matth. XXV. 32.) XIV. 28. XVI. 9. 23. (coll. Act. I. 6.) 24. 26. (coll. Rom. VIII. 26.) XVII. 3. 9. 19. XVIII. 18. 31. (coll. Act. VII. 58.) XIX. 15. 25. (coll. Marc. XV. 40.) XX. 17. (coll. Matth. XXVIII. 9.) 19. XXI. 18. 25.

CAPVT II.

DE

ACTIS APOSTOLORVM.

I. INSCRIPTIO. In codicibus quibusdam inscribuntur *Ληκα ευαγγελιστῶν πραξεις αποστολων*, in aliis *πραξεις των αγιων αποστολων δια Ληκα αποστολων*, in aliis *πραξεις αποστολων*, & in reliquis *πραξεις των αγιων αποστολων*, i. e. *πραγμασεια* ἢ *πραγματικη ιστορια*, *Acta*, s. *dicta* & *facta*, aut *res gestæ sanctorum apostolorum*, nam *πραξεις* denotant *res gestas*, ceu patet ex phrasi illa Polybiana *αι καὶ Αννιβαν πραξεις*, *res gestæ Annibalis*. Sunt, qui putant, hunc librum a majori parte acta Petri & Pauli inscribi potuisse, siquidem maxima ejus pars *res gestas* Petri & præcipue Pauli contineat, & reliquorum tantum obiter fiat mentio. Alii autem in ea sunt sententia, inscriptionem hujus libri rectius formari non potuisse, siquidem Lucas statim in initio historiam ordinis & cœtus apostolici, ejusdemque per Matthiam in locum Judæ suffectum instaurationem describat, & subinde aliorum apostolorum meminerit.

II. AUCTOR. Quod Lucas hunc librum consignaverit, liquet ex inscriptione, ex consensu ecclesiæ primitivæ, ex collatione stili, & ex præfationibus huic libro & Evangelio præmissis. c. L. i. coll. Luc. I. 3.

III. TEMPVS ET LOCVS, QVO SCRIPTA SVNT. Probabiliter Lucas acta apostolorum consignavit Romæ anno æræ vulgaris LXIII. Nam

actis coronidem imponit enarratione adventus prioris Pauli in urbem Romam, & temporis, quod in hac urbe transegit, vid. Act. XXVIII. mansit autem Paulus Romæ usque in annum æræ vulgaris LXIII. vid. *Append.* Adstipulatur huic sententiæ **HIERONYMVS** *catal. script. eccles.* T. I. Opp. p. m. 173.

IV. OCCASIO. Hæc legitur Act. I. i.

V. ARGUMENTVM. Lucas refert adscensum Jesu in cælum, surrogationem Matthiæ in locum Judæ, effusionem Spiritus sancti, sermones primos apostolorum, miracula, itinera, persecutiones, labores, plantationem ecclesiæ inter Judæos & gentes, ejusdemque prospera & adversa fata, primas ecclesiæ doctrinas de pœnitentia, fide, sacramentis, ac omnibus fere præcipuis religionis Christianæ capitibus. Sive: describit historiam Novi Testamenti ab ascensione Jesu Christi usque ad captivitatem Pauli romanam priorem.

VI. SCOPVS. (1) Continuare historiam evangelicam; (2) ostendere complementum promissionum de effusione Spiritus sancti, de propaganda evangelica doctrina, & de vocatione gentium; (3) tradere ἀποδείξιν ἀναστροφῆς Jesu Christi & efficacæ evangelii; (4) describere doctrinam apostolicam, ortum, religionem, ritus, & politiam, totamque formam & regimen primitivæ ecclesiæ, ejusque incrementa, vitam priorum Christianorum integerrimam, eorundem afflictiones, ac admirandas Dei vias in verbi sui propagatione, & in defensione & liberatione suorum, & (5) confirmare, Jesum esse Messiam, & proinde illum, in quem omnes credere, cuique servire debeant.

VII. SIN-

VII. SINGVLARIA. (1) Nexu arctissimo cohæret hic liber cum evangelio Lucae, & alteram eius partem constituit. vid. Evang. I. 1. 2. coll. Act. I. 1. sqq. (2) Plurimum confert ad intelligendas epistolas a Paulo scriptas; præcipue notandum est caput XV. (3) Siffit vivum exemplum, tum qua ratione initio formari debeat vera ecclesia, tum quænam sit eius sancta ac Deo accepta forma. (4) Malleus est, quo potest retundi Pontificiorum arrogantia & inanis jactantia.

VIII. CHRONOLOGIA. Tradunt Acta historiam XXXIII. annorum. Nam Jesus Christus in coelum ascendit anno æræ vulg. XXX, vid. App. §. III. & Paulus captivus Romam venit anno æræ vulgaris LXI. vid. App. §. XXXIX. ibique, teste Luca, c. XXVIII. 30. mansit biennium, & proinde usque in annum LXIII. Res autem, quas Lucas describit, chronologice optime ita dispefci possunt.

A. r.
vulg.

- 30 *Jesus* superna adit, c. I. & *Spiritum sanctum* in apostolos suos solenni *Pentecostes die festo* effundit. c. II. 1-13. *Petrus* concionem habet, qua ferme tria millia hominum ad fidem in *Jesum* perducuntur. v. 14-fin. *Petrus* & *Johannes* claudum, ad templi portam jacentem, sanant, c. III. & in carcerem conjeçti postera die dimittuntur. c. IV. 1-33. Fideles ditiores bona sua divendunt, & pretium ad apostolos deferunt. v. 34-37.
- 31 *Ananias* & *Sapphira* iræ Dei justissimæ in contemtores *Spiritus Sancti* perpetua fiunt monumenta. c. V. 1-11. Apostoli prehensi in carcerem traduntur, & miraculo liberati coram Synedrio sistuntur & virgis cadunt. v. 12-fin. Aucto fidelium numero septem diaconi constituuntur. c. VI. 1-7.
- 32 *Stephanus* martyrio coronatur. v. 8-VII. 1-fin. *Saulus* fideles persequitur. c. VIII. 1. 3. *Philippus* Samaritanos ad fidem in *Christum* perducit, v. 4-13. eosque *Petrus* & *Johannes* irrigant. v. 14-25. *Minister* reginæ *Candaces* opera *Philippi* evangelium amplectitur, & ab eodem sacro fonte tingitur, v. 26-39. quo facto *Philippus* *Azoti* & *Cæsareæ* evangelium prædicat. v. 40.

- A.ær. vulg.
- 33 *Paulus* convertitur & apostolus constituitur, c. IX. 1-19. evangelium *Damascenis* annuntiat, v. 20-22. & *Damasco* abit, v. 23-25.
- 36 *Paulus* *Hierosolymam* adit, v. 26-28. & compertis insidiis sibi structis, a fratribus *Cæsaream* & *Tarsum* deducitur. v. 29. 30.
- 36-37 *Petrus* durante pace, ecclesiæ per conversionem *Pauli* a Deo concessa, omnes vicinas regiones peragrat, evangelium prædicat, eosque, qui illud amplexi erant, confirmat, *Aeneam* paralyticum *Lydda* sanat, *Dorcæ* resuscitat *Joppæ*, c. IX. 31-42.
- 38-39 *Petrus* *Joppæ* commoratur, v. 43. & *Cæsareæ* *Cornelium* cum familia ad Christi fidem convertit. c. X. 1-fin.
- 40-42 Redit *Hierosolymam*, & a *Judæis* reprehensus, quod ædes ethnicorum fuerit ingressus, se defendit. c. XI. 1-18. Nonnulli eorum, qui oborta persecutione aufugerant, adeunt *Phoenicem*, *Cyprum* & *Syriam*, & *Judæis* evangelium prædicant, quidam vero ex his *Antiochiæ Hellenistis* evangelium annuntiant. v. 19-21. *Barnabas* *Antiochiæ* missus confirmat fideles, v. 22-24. quo facto *Paulum* quærit, eumque inventum *Antiochiæ* ducit, ibique cum illo annum commoratur. v. 25. 26. *Agabo* instantem annonæ caritatem prædicente, fideles *Antiochenses* stipem colligunt. v. 27-29.
- 43 *Paulus* cum *Barnaba* stipem collectam *Hierosolymam* defert, & eodem tempore *Jacobus* ab *Herode Agrippa* interficitur, & *Petrus* in vincula conjicitur, cujus miraculosam liberationem abitus *Herodis Cæsaream* obitusque ejus insequitur. v. 30-XII. 1-fin, vid. App. §. X. VIII. VII.
- 44-46 Adit *Seleuciam*, *Cyprum*, *Paphum*, *Pergam*, *Antiochiæ Pisdia*, *Iconium*, *Lystram* & *Derben*. Act. XIII. 3-XIV. 1-20. *Derbe* revertitur *Lystram*, *Iconium*, *Antiochiæ Pisdia*, & per *Pisidiam Pamphylia*, *Pergam*, *Attalia* redit *Antiochiæ* *Syria*, Act. XIV. 21-27. ibique moratur cum *Barnaba*. v. 28.
- 47 Adit *Hierosolymam* tertia vice, & concilio habito redit *Antiochiæ*, ibique commoratur. Act. XV. 1-35.
- 48-51 *Sila* assumpto *Syriam* & *Ciliciam* peragrat, & venit *Derben Lystramque*; Act. XV. 36-XVI. 1-5. proficiscitur in *Phrygiam* & *Galatiam*, & per *Mysiam* venit *Troadem*; Act. XVI. 6-8. adit *Macedoniam*, evangeliumque prædicat *Philippis* & *Thesalonica* & *Beroea*; Act. XVI. 9-XVII. 1-13. venit *Athenas*, v. 14-fin. & inde *Corinthum*, ubi commoratur menses XVIII. Act. XVIII. 18.
- 52-57 Adit *Ephesum*, *Cæsaream*, *Hierosolymam* & *Antiochiæ*, ibique moratur. Act. XVIII. 18-23. *Antiochia* relicta venit in *Galatiam* & *Phrygiam*, v. 23-fin. per superiores *Asia* regiones adit *Ephesum*, ubi subsistit annos III. Act. XIX. 1. & *Epheso* relicta proficiscitur in *Macedoniam* & *Græciam*. Act. XX. 1. 2.
- Per

A.ær.
vulg.

- 58 Per Macedoniam adit *Troadem & Miletum*, ac venit *Tyrum, Casaream & Hierosolymam*, Act. XX. 3. ibique in vincula datur. v. 27-XXIV. 1-26.
- 60 Biennio in vinculis completo, a Porcio Festo non diu post ejus adventum in Judæam *Romam* mittitur, & naufragio factò in insulam *Maltam* ejicitur, ibique hibernat. Actor. XXIV. 27-XXVIII. 1-11.
- 61-63 Venit *Romam*, & ibi liberam habet custodiam per biennium in conducto domicilio. Act. XXVIII. 11-fin.
- Uberior chronologia actorum apostoli Pauli una cum rationibus probantibus traditur in Appendice.

IX. PARTITIO. Enarrantur in hoc libro a Luca

I. Acta apostolorum & discipulorum JESV CHRISTI

- 1.) ante & post adscensionem Jesu in cœlum. c. I.
- 2.) post effusionem Spiritus Sancti. c. II. 1-13. ubi
 - (a) Concio a Petro habita c. II. 14-fin.
 - (b) Sanatio claudi a Petro peracta, & quæ illam insecuta sunt. c. III. IV.
 - (c) Varia ecclesiæ fata. c. V.
 - (d) Collegium VII. diaconorum ab apostolis institutum, c. VI. & oratio martyriumque Stephani, c. VII. quod fidelium dispersio excepit. c. VIII. 1, 4.
 - (e) Plantatio ecclesiæ Samaritanæ. v. 5-25.
 - (f) Conversio Æthiopsis, v. 26-40. Pauli, c. IX. & Cornelii c. X-XI. 1-18.
 - (g) Fata ecclesiæ prospera, v. 19-26. & adversa. v. 27-XII. 1-fin.

II. Acta Pauli, & quidem

- 1.) ejus itinera varia, & quæ in iis contingere. c. XIII. 1-26.
- 2.) Captivitates.
 - (a) Hierosolymitana. c. XXI. 27-XXIII. 1-22.

(b) Cæsarensis. c. XXIII. 23-XXVI.

(c) Romana una cum antecedentibus. c. XXVII. XXVIII.

IX. LOCA NOTATA PRÆCIPUE DIGNA:

C. I. 24. II. 23. 24. 33. 36-39. 47. III. 15. 19. 21. 26. IV. 12. 28. 29. 29. V. 3. 4. 29. 31. 38. 39. 42. VII. 51. 54. 58. 59. VIII. 20. 21. IX. 4. 5. 31. X. 2. 38. 43-45. XI. 18. 26. XII. 23. XIII. 39. XIV. 22. XV. 9. 18. 28. 29. XVI. 14. 30. 31. XVII. 11. 24-31. XVIII. 10. 26. XX. 20. 21. 24. 26-28. 31. XXI. 13. XXIV. 15. 16. XXVI. 18. 28. 29. XXVII. 24. XXVIII. 25.

XI. LOCA DIFFICILIORA. C. I. i. (coll. Joh. I. 25.)

18. II. 15. 23. (coll. Joh. XIX. 11.) 24. 27. 38. (coll. Matth. XXVII. 19.) 55. (coll. Marc. XVI. 19.) VII. 1-4. 14. 16. (coll. Gen. XXIII. 9. sqq.) VIII. 22. 23. IX. 5. 7. (coll. XXII. 9.) 23. (coll. Gal. I. 16.) X. 30. (coll. v. 9.) 34. 35. XII. 15. 19. XIII. 19. (coll. Exod. III. 8.) 20. 21. 33. 48. 50. XIV. 12. XV. 29. 39. XVI. 3. (coll. Gal. II. 2.) 6. 18. (coll. Phil. I. 18.) XVII. 24. (coll. 2 Sam. VI.) 28. 29. XVIII. 18. 26. XIX. 2. 13. (coll. 1 Cor. XII. 3.) XIX. 35. XX. 9. (coll. v. 10.) 22. (coll. XXI. 4.) 31. (coll. XIX. 10.) XXI. 24. XXIII. 3. 5. 6. XXV. 10. (coll. 1 Cor. VI. 1.) XXVII. 9. 13. 23. 33. XXVIII. 11.

SECTIO II.

DE

LIBRIS DOGMATICIS,

SIVE DE

EPISTOLIS APOSTOLORVM.

I. DESCRIPTIO APOSTOLORVM. Fuerunt illi viri, qui non modo CHRISTVM præcipue resuscitatum *conspexerant*, (Act. I. 8. 22. X. 40. 41. 1 Joh. I. 1.) & a Christo *apertus electi & vocati*, (Joh. XX. 21. Act. I. 24. 25. Luc. VI. 13-16.) ab eoque instituti s. edocti erant, (Luc. XXIV. 45. Joh.

Joh. XVII. 8. 14. Act. II. 14.) sed qui etiam dono θεοπνευσίας præditi, (Matth. X. 19. 20. coll. Joh. XIV. 26. XVI. 13.) *charismatis linguarum extraordinariis* & dono θαυματουργικῶς repleti, (Act. II. 4. Matth. X. 7. 8. Marc. XVI. 17. 18. 20. Act. III. 6. VIII. 14-17.) *peculiari potestate decernendi*, quid Christianis e lege Mosaica servatu esset necessarium & utile, nec ne? instructi, (Act. XV.) & a Christo ablegati fuerunt, *ecclesias per totum terrarum orbem plantare & fundare.* (Matth. XXVIII. 19. Marc. XVI. 15. Act. I. 8.

II. **RATIO APPELLATIONIS.** Vocantur *Apostoli* Jesu Christi, quia ejus fuerunt *legati*, quos ex suis discipulis electos in totum terrarum orbem misit, ut sui testes ubivis gentium essent, nam *apostolus* est vox origine græca, & *legatum* s. nuntium denotat.

III. **APOSTOLI, QUI EPISTOLAS AD CANONEM N. T. PERTINENTES RELIQUERVNT.** Illi sunt *Paulus, Jacobus, Petrus, Johannes & Juda.*

IV. **DIVISIO EPISTOLARVM, QVAS APOSTOLI SCRIPSERVNT.** Dividuntur *epistolæ* in *Paulinas & catholicas.* vid. p. 205.

CAPVT I.

DE

EPISTOLIS APOSTOLI PAULI.

I. **NOMEN APOSTOLI.** Appellatur in Actis *Saulus & Paulus.* Act. XIII. 9. *Saulus* a שׂוּלָם derivatum, *postulatum* s. *expetitum* denotat, & *Paulus,*

Paulus, quod sine dubio est nomen origine *latinum*, *pusillum* s. *parvum* significat. Vulgo creditur, *Saulum* mutasse nomen suum, cum religionem & vitam mutavit, at contrarium conficitur ex Act. XII. 25, XIII. 2. nam ex his locis certum est, ipsi etiam post mutationem illam beatissimam nomen *Saul* hæsisse. Alii putant, *Paulum* fuisse binominem; in circumcissione ipsa parentibus nomen *Sauli* inditum, & nomen *Pauli* additum esse, quia civis romanus fuerit. Verosimilius autem est, *Paulum* hoc nomen primæ literæ permutatione cum *Saulo* commutasse post ablegationem ad gentes, quia nomen *Sauli* græcis & romanis auribus infvetum, *Pauli* vero apud illos vulgatum fuit, nam ante hanc ablegationem *Paulus* nunquam, *Saulus* semper, Act. VIII. IX. & post illam non *Saulus*, sed *Paulus* vocatur. Act. XIII. 13. 16. &c.

II. PATRIA. Natus est *Tarsi*, quæ urbs fuit *Ciliciæ* primaria. Act. XXI. 39. Nomen suum hæc urbs probabiliter a conditore *TARSISO*, *JAVANIS* filio, & *JAPHETI* nepote Gen. X. 4. nacta est, & illustrissima fuit non solum antiquitate, situ, incolarum frequentia & mercatura, sed etiam philosophiæ & literarum studiis. *STRABO* L. XIV. p. m. 991. *Tantum*, inquit, *Tarsensibus* studium rerum philosophicarum & disciplinarum - - ut superaverint *Athenas*, *Alexandriam*, & si quis alius nominari potest locus, ubi philosophorum & artium ad humanitatem pertinentium scholæ haberentur. Ita Deus in urbe gentili & erudita eum nasci voluit, qui magnus olim futurus erat gentium doctor.

III. PROSAPIA. Fuit *Israelita* ex tribu *Benjaminica*, quæ vero Dei cultui constanter fuit dedita, oriundus, & quidem *hebræus ex hebræis*, Phil. III. 5. quo significatur, quod parentes ejus in linea adscendente *hebræi* fuerint. IV. CI-

IV. CIVITAS ROMANA. Natus fuit *civis romanus*. Act. XXII. 26-28. Sunt, qui putant, *Tarsum* ob sua in Romanos merita civitate donatam fuisse, at PLINIVS *Tarsum* non municipium, non coloniam, sed *liberam tantum urbem* nuncupat, L. V. c. XXVII. p. m. 585. quare verosimilius est, parentes ejus vel propter merita in Romanos ab illis civitate donatos fuisse, vel eandem a senatu romano, aut ab imperatore emisse, vid. *Scholion græc.* ad Act. XXII. 28. quæ emtio tum temporis non insveta fuit. Act. XXII. 28. Liqueat autem exinde, Paulum ex opulenta fuisse familia.

V. NATVRALES ANIMI DOTES. *Alacri ingenio, judicio acuto & solido, & memoria tenaci* præditus fuit, unde factum est, ut in patriarum legum peritia coætaneos suos longo intervallo anteverterit. Gal. I. 14. Facultates autem hæ, studiis magis emendatæ, ac gratia Dei deinde sanctæ redditæ, optime ecclesiæ Dei inservierunt.

VI. VITA ANTE CONVERSIONEM. (I) Bonis literis, imprimis sacris, paternisque traditionibus *Tarsi & Hierosolymis* a GAMALIELE seniore, Synedrii præside, nepote *Hillelis*, filio *Simeonis*, & patre illius *Simeonis*, cujus ætate ædes sacra destructa, imbutus est. Nam Act. XXII. 3. refert, quod Hierosolymis ad pedes Gamalielis institutus sit, qua phrasi respicit ad morem discipulorum, qui, doctore in altiori loco confidente, ad pedes ipsius prostrati, in solo mattisve jacuerunt. Luc. X. 39. Marc. III. 32. Et quod Paulus non tantum sacras, sed & profanas literas edoctus fuerit, ex ejus epistolis liquet. Nam in illis occurrunt vestigia non vulgaris eruditionis, & loca profanorum auctorum, Act. XVII. 28. nimirum ARATI, Solensis, Medicinæ, Philosophiæ ac Poeseos periti,

riti, & *Cleanthis*, Poetæ & Philosophi Stoici, 1 Cor. XV. 33. *Menandri*, Atheniensis, comici excellentis, s. *Euripidis*, Tragœdiarum scriptoris præstantissimi, & Tit. I. 12. *Epimenidis*, Cretensis Philosophi celebris, sententiis utitur. (2) Studiis opificium, & quidem *σκηνοποιαν*, *artem conficiendi aulea & tabernacula*, s. *consuendi tentoria*, quæ pellibus constabant, & militibus usui erant, junxit. Act. XVIII. 3. Nam moris erat eo tempore, ut divitum etiam & potentum liberi opificium quoddam discerent, quo, si opus foret, commutata rerum sorte, sese alere possent, & in Talmude regula hæc legitur: *Qui filium suum non docet opificium, filium suum furari docet.* (3) Vitam a vitiis remotam gessit, s. quod ad civilem honestatem, & tenacem religionis avitæ professionem attinet, inculpatus fuit 2 Tim. I. 3. Phil. III. 6. (4) Sectæ illorum addictus fuit, qui *Pharisæi* dicti sunt, quia se a promiscua hominum turba segregarunt, & sibi ab immunditia corporali sollicitè caverunt, & qui præter scripturam sacram traditiones patrum pro norma fidei & morum habuerunt, & præcipue apud vulgus in magna existimatione fuerunt. Phil. III. 5. (5) Acerrimum ecclesiæ Christianæ hostem & persecutorem se præstitit, Act. VIII. 1-3. IX. 1. 2. XXII. 3-5. 1 Cor. XV. 9. Gal. I. 13. 14. 23. 1 Tim. I. 13. verum non ex odio molestæ sibi veritatis, sed ex ignorantia, s. quia conscientia non rectè informata & præconceptis opinionibus occupata dictamen cæca religione secutus est. 1 Tim. I. 13.

VII. CONVERSIO. Ad illam a Christo perductus est, cum minas ac cædem contra discipulos Jesu Christi spirans, *Damascum*, quæ illa ætate Aretam, regem Arabiæ, dominum habuit, 2 Cor. XI. 32. proficisceretur, & non procul ab illa urbe abesset, Act. IX. 1. sqq. Admiratione dignus est hicce

hicce triumphus Domini nostri Jesu Christi. Nam immanissimum tunc temporis hostem in medio furoris impetu sibi vindicavit; & non sine sapienti consilio Paulum in regione gentibus subjecta, ad fidem perduxit, siquidem illi conversio gentium destinata erat. Accidit autem conversio Pauli anno æræ vulgaris XXXIII. vid. *App.* & proinde anno tertio post mortem Jesu Christi. vid. *App. §. III.* & quod ad annum ætatis Pauli attinet, probabiliter cum XXX. annos natus fuit, nam illo tempore, quo Stephanus morti traditus est, fuit *νεανίας*, juvenis, i. e. adultæ ac consistentis staturæ vir, siquidem *νεανίας* respondet hebraico *נָעַר* & in epistola ad Philemonem, quam scripsit anno æræ vulgaris LXII. se senem appellat, vid. v. 9. Ejusdem itaque fere ætatis fuit, ac Christus.

VIII. OFFICIUM, QVO FUNCTUS EST.

Eodem illo tempore, quo conversio ejus accidit, a Jesu Christo *apostolus* constitutus est, Act. IX. 1. sqq. coll. XXVI. 12-18. & quidem præcipue *gentium*. Gal. I. 15. 16. II. 7. Eph. III. 7. 8. Et quod Paulus omnino in numerum apostolorum referendus sit, ex eo patet, quod ipsi nullus illorum characterum, qui p. 276. N. I. enumerati sunt, desit. Nam Christum ex mortuis resuscitatum, & in cœlum sublatum vidit, Act. IX. 17. 15. 5 XXII. 14. XXVI. 16. I Cor. IX. 1. XV. 8. immediate a Christo vocatus est, Act. XXVI. 15-18. ab eoque institutus, Gal. I. 1. II. 12. 16. II. 6. & præditus fuit dono *θεοπνευσίας*, Rom. XV. 18. charismatis lingvarum, I Cor. XIV. 18. dono *ἰαπωνίας*, Act. XIII. 9. sqq. XIV. 8. sqq. XIX. 11. 12. XX. 9. sqq. I Cor. XII. 12. & peculiari potestate decernendi, quid Christianis N. T. e lege Mosaica servatu esset necessarium ac utile, nec ne? Act. XV. 2. Gal. IV. 10. able-

ablegatus quoque fuit a Christo, ut evangelium ubivis gentium prædicaret; Act. IX. 15. XXVI. 17. 1 Tim. II. 7. & propterea se apostolum Jesu Christi appellat. vid. Exordia Epp. ad Rom. Corinth. Gal. &c.

IX. ADVERSARIJ, qui Paulo inprimis multum negotii facesserunt, quibusve strenue obviam ivit. Illi fuerunt *Pseudapostoli*, de quibus sequentia observanda veniunt: (1) Fuerunt gente Judæi. 2 Cor. XI. 22. Phil. III. 2. (2) De veritate religionis Christianæ convicti, illam amplexi erant. 2 Cor. XI. 22. X. 7. (3) Docuerunt, justificari homines coram Deo partim propter Christum, partim propter opera legis moralia & ceremonialia, a Mose præcepta, Gal. VI. 12. quia legi Mosaicæ ab ungviculis adsveti erant, & ne persecutionem sibi crearent. Gal. VI. 12. Phil. III. 18. Nam iis temporibus Judæis per leges romanas & edicta liberum erat religionis exercitium, non autem Christianis, & Judæi præ omnibus Christianos persecuti sunt. Ut autem doctrinam hanc omnibus probarent, allegarunt (4) severissima Dei mandata, quæ in scriptis Mosis leguntur, & provocarunt ad Petrum & Jacobum aliosque apostolos, dicentes, quod illi neutiquam legem ceremoniam abrogassent, sed illam observarent, Act. XXI. 18-22. gentiumque consuetudinem vitarent, Gal. II. 11-13. & quod illorum exemplum imitandum sit, siquidem cum Christo versati, & ab illo instituti essent. conf Gal. II. 6. 2 Cor XI. 5. (6) Auctoritatem Pauli, qui illis acerrime obstitit, Gal II. omnibus modis deprimere tentarunt, jactantes, Paulum, qui familiaritate Christi non fuisset usus, & non ab ipso Christo evangelium didicisset, nequaquam pari auctoritate cum Petro & Jacobo habendum esse; imo objecerunt ipsi mendacia, levitatem, defectum amoris, affe-

affectationem tyrannidis, imposturam & depravationem religionis; 2 Cor. I. 12. 17. II. 17. IV. 2. X. 9. 10. XI. 11. XII. 13. 16. 17. conf. P. II. Sect. II. Cap. I. Membr. III. N. III. & inde lites & schismata ortum traxerunt. Appellantur a Paulo cauponantes verbum Dei, 2 Cor. II. 17. pseudapostoli, dolosi operarii, & schema apostolorum Christi mentientes, c. XI. 13. diaconi Satanæ, v. 15. canes, operarii mali, & concisio, Phil. III. 2. hostes crucis Christi, & terrena sapientes. v. 19.

X. SINGVLARIA. (1) *Eloquium* ejus quidem exile, 2 Cor. X. 10. at excitatum & animatum fuit, Act. XXI. 3. XXIV. 10. sqq & in *actionibus* se gessit promptum, celerem, expeditum, ferventem, assiduum, cautum & prudentem, ac in *conversazione* omnibus facilem & svavem. (2) *Officio* sibi demando ita functus est, ut non modo in regionibus *Palaestinae* adjacentibus, sed & in procul remotis regionibus, *Græcia* nimirum, *Creta*, *Italia*, & forsitan quoque in *Hispania*, Jesum Christum cruci adfixum prædicaverit. Rom. XV. 19. 24. (3) *Visiones* habuit plurimas. Act. XXII. 17. 18. cap. XVIII. 9. 10. 2 Cor. XII. 1. sqq. Gal II. 2. Act. XXVII. 23. 24. (4) Præditus fuit maxima & perquam clara *cognitione Jesu Christi & legis*, Eph. III. 4. profunda *humilitate*, 1 Cor XV. 9. 10. *magnitudine animi*, nulli cedente difficultati & periculo, 2 Cor. IV. 8. sqq. *zelo*, quo totus ad Dei gloriam & hominum salutem flagravit, Rom. IX. 3. 2 Cor. XII. 15. materno in ecclesias Christianas *amore sancta severitate mixto*, vid ep I. & II ad Cor. *diligentia maxima* in munere sibi demando obeundo, 1 Cor. XV. 10. *invicta constantia*, summa *sapientia*, *prudentia*, *providentia & circumspectio* in bono promovendo & malo amovendo, *sanctitate exactissima*, 1 Cor. XI. 1. & tanta *abnegatione*, 2 Cor. XII

14. *cura pauperum*, Gal II. 10. *castimoniaque*, I Cor VII. 7. quæ admiratione digna. (5) Plures, quam reliqui apostoli, epistolas reliquit. (6) Præ omnibus aliis apostolis doctrinam de vera homines salvos reddente *fide*, s. de hominis peccatoris contriti coram Deo, ex mera ejus gratia *justificatione* inculcat, & de scopo & fine legis, & de prærogativis Judæorum præ gentibus agit. Nam Judæi, cum legi à teneris adsveti essent, non tantum ejus tenacissimi fuerunt, sed etiam gentes ad illam observandam adigere conati sunt, & conversos ex gentibus spreverunt. (7) Mirificis & plus quam maternis blandimentis oves ad se allicit, & in objurgationibus *gravitatem* cum lenitate prudentissime temperat; acriter quidem interdum, magnoque zelo auditores objurgat & castigat, sed cito molliter ac paterna lenitate inflicta vulnera sanat. (8) In epistolis plerumque primum *contritionem*, postea *justificationem*, & postremo *novam obedientiam* urget, & tantum non semper *theoreticis* postponit *practica*, ut hæc fontibus perspectis s. apertis eo svavius & profundius se in legentium pectora insinuent. (9) *Peculiaribus* quibusdam *vocibus & loquendi formulis* subinde utitur, quo pertinet e. g. *connasci, consepeliri cum Christo &c. veterem hominem exuere, lex membrorum & in membris, lex spiritus &c.* (10) Stilus, quem in conscribendis epistolis adhibuit, est *gravis, masculus, vividus, per particulas arctissime connexus*, & multis, ex Spiritus exuberantia profectis, *parenthesibus* refertus, non modo brevioribus, sed & longis. e. g. Rom. V. 13-17. VII. 7-25. Phil I. 27-II. 1-16. Col. I. 14-20. Eph. III. 2-13. &c. (11) Modus disputandi, quo utitur, est prorsus *rabbinius*. (12) Summa omnium epistolarum, quas scripsit, est Jesus Christus, & legitur in illis Jesus ducenties septies, & Christus quadringenties decies novies. XI.

XI. **MORS.** Romæ capite truncatus, & in via Ostiensi sepultus est anno ministerii sui XXXV. & anno ær. vulg. LXVIII. v. App. §. XLII. & proinde duobus annis ante excidium Hierosolymitanum, siquidem illud A. ær. vulg. LXX. accidit. vid. p. 220.

XII. **EPISTOLÆ**, quæ nostram attigere ætatem. Illarum numerus est XIV. at eum in illa sua quotidiana ardentissimaque cura de omnibus ecclesiis, 1 Cor. XI. 28. inque tam longo tempore, & tam variis casibus & piorum morbis, plurimas præter istas exstantes epistolas refertas salutari doctrina scripsisse, nulli dubitamus, & huic sententiæ favere videtur effatum illud Paulinum, quod exstat in ep. post. ad Theff. quæ secunda Paulinarum epistolarum est, nam in illa c. III. 17. perhibet, se scribere NB. in *omni* epistola: gratia Jesu Christi sit vobiscum, Amen! Quamvis autem concedamus, plures Paulum scripsisse epistolas, negamus tamen, illas ad perpetuam normam ecclesiæ Christianæ a Deo destinatas fuisse, nam alias nostra attigissent tempora. Divina autem providentia factum, ut nec omnes Christi ac apostolorum conciones conscriptæ, nec omnes epistolæ apostolorum conservatæ sint, siquidem alias ipsa immensa earum copia obrueremur. Joh. XXI. 25. Quas autem epistolas Paulinas divina nobis reliquit providentia, illæ in nostris codicibus ita sunt collocatæ, ut præmittantur illæ, quæ auctoris nomen in inscriptione præferunt, epistolæ ad Ebræos, inscriptione destitutæ, & istæ, quæ ad integras ecclesias scriptæ sunt, his, quæ ad personas singulares datæ sunt, & in utroque ordine majores fere minoribus. Imo urbium quoque & provinciarum personarumque, ad quas missæ sunt, ratio est habita. Inter omnes constat, *Romam & Corinthum* tunc temporis urbes fuisse celeberrimas, & propterea, vid. THEODORETI præf. in epist. ad Rom.

Rom. forsitan quoque ob præstantiam, qua reliquas superant, *epistola ad Romanos* primum tenet locum, & illam excipiunt *epistolæ ad Corinthios*. Sequitur *epistola ad ecclesias in Galatia*, siquidem illa integra erat provincia, & propterea merito antecedit *epistolas ad Ephesios, Philipp. &c.* & quis nescit, quod *Timotheus Titum, & Titus Philemonem* dignitate antecesserint? Quod autem ad tempus attinet, quo a Paulo scriptæ sunt, probabiliter sequenti se excipiunt ordine: *Epist. I. & II. ad Thessalonicenses, I. & II. ad Corinthios, ad Romanos, ad Galatas, ad Philemonem, ad Colossenses, ad Philippenses, ad Ebræos, ad Titum, I. ad Timotheum, ad Ephesios & II. ad Timotheum.* Ex his scripsit *ante vincula priora*, quæ Romæ sustinuit, *epistol. I. & II. ad Thessalonicenses, I. & II. ad Corinthios, ad Romanos, & illam ad Galatas, in vinculis prioribus* *epistolas ad Philemonem, ad Colossenses & ad Philippenses, post vincula priora* *epistolas ad Ebræos, ad Titum, & ad Timotheum, & in vinculis posterioribus* *epistolam ad Ephesios, & posteriorem ad Timotheum.* Manu sua certas ob causas exaravit *epistolam ad Galatas, c. VI. II. posteriorem ad Corinthios, c. XIII. 2. 10. & illam ad Philemonem. vid. v. 19.*

MEMBRUM I.

DE EPISTOLA AD ROMANOS.

I. ECCLESIA, AD QUAM SCRIPTA EST.
Dedit Paulus hanc *epistolam ad ecclesiam Romanam*, s. cœtum eorum, qui Romæ Christo vera fide adhæserunt. c. I. 7. Distat hæc urbs Hierosolymis
milliaria

milliaria germanica circiter CCCC. & Corintho, unde Paulus epistolam hanc misit, CC. & fuit tunc temporis urbs Italiæ primaria, populis victisque frequens gentibus, & totius propemodum orbis domina. Quemadmodum autem majestate omnes reliquas anteivit urbes, ita quoque plurimis & atrocissimis vitiis, & præcipue superstitione, idololatria, ambitione, ebrietate, luxu, impudicitia & fraudibus inquinata, ac peregrina ornata sapientia, turgida fuit, dicendoque sibi valde placuit.

Plantatio hujus ecclesiæ probabiliter accidit mox post primam N. T. Pentecosten, & quidem per Judæos Romanos, qui Hierosolymam, festum Paschatos & Pentecostes celebrandi causa venerant, concione a Petro festo Pentecostes habita, ad Christum ductos, Act. II. 10. sqq. & deinde Romam reversos, & domesticis, cognatis, amicis, vicinis ceterisque civibus ea, quæ Hierosolymis viderant, audiverant & experti erant, magno cum affectu prædicantes; forsitan quoque occasione afflictionis post mortem STEPHANI exortæ, quidam Romam adierunt, ibique evangelium prædicarunt. Act. VIII. 1-4. Certum est, hanc ecclesiam non recens fuisse Christo collectam, cum Paulus illam scripto adiit. Rom. I. 7. 8. coll. XV. 23.

Quod ad *statum externum* hujus ecclesiæ attinet, constitit *Judæis* conversis, Rom. II. 17. sqq. IV. 1. VII. 1. & *gentilibus*, c. XI. 13. sqq. & horum *plures* illis fuerunt, ceu liquet ex catalogo illo sanctorum, qui legitur c. XVI. illorum enim nomina fere omnia, sive græca sunt, sive romana, & pleraque ita comparata, ut vix ullum existet indicium, Judæos fuisse, vid. v. 14. 15. & quod fidelium numerus non exiguus, sed magnus fuerit, ex eodem illo catalogo conficitur, verosimile enim est, non paucos illorum multitudine credentium stipatos fuisse.

Status internus erat quidem *florens ac vegetus*, imo *letissimus*, c. I. 7. 8. XV. 14. XVI. 19. at *maculis quibusdam adpersus*, non enim tantum apud nonnullos libertatis evangelicæ abusus se prodebat, c. III. 8. VI. 1. 15. VIII. 12. XIII. 12. XIV. 1. sed & dissensio inter fideles Judæos & gentiles erat. Nam Judæi prærogativa fœderis superbiebant, c. III. 27. 29. observantiam legis ceremonialis urgebant, c. XIV. 2. 3. 5. & gentiles, legi ceremoniali se submittere recusantes, contemnebant; c. XIV. 2. gentiles autem Judæos aspernabantur tanquam a Deo rejectos, in quorum locum nunc recepti sint, c. XI. 17. sqq. & libertate Christiana abutebantur. c. XIV. XV. 1-3.

II. LINGVA. Scripta est a Paulo lingua *græca*, & quidem propterea, quia teste JUVENALI græca lingua Romanis omnibus, etiam fœminis & infimæ plebi cognita, & in usum recepta fuit. vid. p. 194.

III. LOCUS SCRIPTIONIS. *προγραφή* refert, hanc epistolam scriptam esse Corinthi, idque variæ evincunt rationes. Nam (1) scripta est in Achaja, Rom. XV. 25. 26. cujus metropolis erat Corinthus, ubi Paulus, uti antea, ita nunc etiam hæsit. (2) Missa est per Phœben, ecclesiæ Cenchreensis ministram, Rom. XVI. 1. 2. quod autem Cenchreæ portus Corinthiorum fuerit, v. p. 291. N. I. n. 2. (3) Hospitem suum appellat Gajum, Rom. XVI. 23. is vero habitabat Corinthi. I Cor. I. 14.

IV. TEMPVS. Exarata est a Paulo, (1) cum altera vice Corinthi commoratus est, siquidem Aquila & Priscilla, qui Corinthi hærebant, cum Paulus illam urbem prima vice adiret, jam Romæ degebant, Rom. XVI. 3. coll. Act. XVIII. 2. 26. & (2) cum iter Hierosolymitanum quintum ultimi-

mum a Luca descriptum meditaretur. Rom. XV. 25. 26. Et proinde scripta est anno æræ vulgaris LVIII. probabiliter mense Februario, siquidem Paulus illo anno Corintho Philippos se contulit, & illis post festum Paschatos relictis, Hierosolymam adiit, vid. *Append. §. XIX. XIII. XLII.*

V. OCCASIO. (1) Fama ad apostolum delata de fide & incremento Romanorum. c. I. 8. (2) Propositum Romanos invisendi impeditum. c. I. 13. XV. 22. 23. (3) Diffensiones quædam inter Judæos & gentiles ad Christum conversos, aliaque mala gliscentia, quibus medela afferenda. vid. N. I. (4) Profectio Phœbæ ad Romanos evangelii causa suscepta, sine litteris Corintho non dimittendæ. c. XVI. 1. 2.

VI. ARGUMENTVM. Paulus demonstrat, universos tam Judæos quam gentiles in statu naturali peccato iræque divinæ esse subjectos, & sine operibus legis sola fide justificari; ac in Christum credentes ex optimo fundamento ad pacis & sanctitatis studia excitat.

VII. SCOPVS. (1) Fidem Romanorum confirmare. (2) Diffensiones exortas componere. (3) Singulos ad studium sanctitatis excitare. Ex Act. XXVIII. 15. verosimile est, Paulum hunc scopum attigisse.

VIII. SINGVLARIA. (1) Tradit omnia ea, quæ ad *fidem salvificam & vitam sanctam* pertinent, f. totius doctrinæ Christianæ corpus integrum & quidem *methodo optima*, qua propter non sine singulari Dei providentia in illa urbe deposita est, quæ uti isto tempore caput orbis, ita olim futura sedes Antichristi erat. (2) Pontificiis fudes est in oculis, siquidem palmaria eorum dogmata evertit.

(3) Tertio cuidam a Paulo in calamum dictata est.
c. XVI, 22.

IX. PARTITIO. Continet capp. XVI.

I. Exordium. c. I. 1-15.

II. Propositionem. v. 16.

III. Tractationem v. 17-XI. 1-fin. ubi

a) Modus justificationis.

(1) Remotive. Nullus hominum justificatur propria justitia s. operibus legis, siquidem omnes sunt rei iræ divinæ, & æternæ mortis. c. I. 17. - III. 1-20.

(2) Positive. Justificantur homines gratis per fidem in Christum. v. 21-IV. 1-fin.

b) Effectus justificationis. c. V-VIII. 1-fin.

c) Rejectione Judæorum ob contemtum evangelii & fidei, qua justificamur. c. IX. X. XI.

IV. Officia justificatorum per fidem. c. XII-XV. 1-12.

V. Conclusionem. c. XV. 13-XVI. 1-fin.

X. LOCA NOTATA PRÆCIPVE DIGNA.

C. I. 16. 18-22. II. 4. 6-9. 11. 23-25. III. 2. 4. 8-18. 23-26. 28. IV. 3-8. 11. 17-21. 25. V. 1. 2. 5. 8. 10. 12. 15. 18. 19. VI. 2-4. 11-14. 16. 17. 21-23. VII. 7. 12-14. VIII. 1. 2. 7-9. 13-18. 26-34. 37. IX. 5. 32. X. 2. 4. 17. XI. 6. 20-23. 36. XII. 1. 2. 5. 8-12. XIII. 1. 2. 4. 6. 8. 10. 12-14. XIV. 4. 8-10. 17. 18. 23. XV. 4. 16. 18.

XI. LOCA DIFFICILIORA. C. I. 1. (coll. Joh.

XV. 15.) 2 (coll. c. XVI. 25.) 4. 17. II. 14. 15. 29. III. 1. 2. (coll. 9.) 22. 25. IV. 5. 15. 18. V. 7. 9. (coll. Jac. I. 3.) 14. VI. 6. 7. VII. 6 (coll. Matth. V. 17.) 8. (coll. Jac. I. 15.) 9-25. VIII. 3. 10. 11. 19-22. IX. 3. 11-13. 15-18. X. 6-8. XI. 12. 24-26. 32. XII. 1. 7. 11. 20. XIII. 11. 14. XIV. 5. (coll. Gal. IV. 10.) 15. (coll. Joh. X. 28.) XV. 2. (coll. Gal. I. 10.) 8.

MEMBRUM II.

DE EPISTOLA I. AD CORINTHIOS.

I. OBJECTVM AVCTORIS. Misit Paulus hanc epistolam ad *ecclesiam Corinthiacam* s. eam quæ *Corinthe* Christo fuit collecta, c. l. 2. de qua urbe sequentia observanda sunt:

- 1.) Sita est *loco commodissimo*, nimirum medio fere in Isthmo, inter duo illa maria, *Ionicum* & *Ægeum*, ubi e Peloponneso ad continentem Græciæ itur, a Græcis propterea *αμφιθαλασος* appellata.
- 2.) Duobus inclyta erat portus, quorum alter *Lecheæ*, alter *Cenchreæ* dictus est, Act. XVIII. 18. Rom. XVI. 1. vid. PTOLOMÆI Tab. X. Europæ, illo utebantur ad *Europæas*, hoc ad *Asiaticas* negotiationes. vid. STRABONEM L. VIII. p. m. 580. sqq.
- 3.) *Mummio* consule a Romanis *direpta* & deleta, a *Julio Cæsare* instaurata est, missis eo libertinis plurimis, teste STRABONE l. c. p. m. 584. 585.
- 4.) *Emporium* erat Asiam inter & Italiam celeberrimum, Achajæ caput, & Græciæ decus, testibus FLORO L. II. c. XVI. p. m. 88. & CICERONE *pro lege Manlia*, & omnium urbium frequentissima, Act. XVIII 10. ac opulentissima, & velut officina omnium artificum & artificiorum. vid. P. OROSIVM L. V. c. III
- 5.) Hodie *Coranto* dicitur, Turcisque subjecta est, qui illam A. C. MDCCXV. Christianis eripuerunt, & est urbs exigui prorsus momenti, nec pristinae claritatis retinens umbram.

- 6.) *Judeorum* multi, tempore Pauli, in illa domicilium habuerunt, Act. XVIII. 4.
- 7.) Incolæ ethnicæ religioni addicti, *libertinorum*, quos Cæsar ante XC. annos miserat, *filiis & nepotes* erant, quorum uti forte majores patria, lingua, moribus & institutis diversi fuerunt, ita vel ea propter inter posteros, licet converfos, facilius oriri potuerunt dissensiones.
- 8.) *Moribus corruptissimis* hæc urbs contaminata fuit. Nam habitaverunt in illa homines libidinosi, superbi, luxui, deliciis, ebrietati gulæque dediti, avari & contentiosi, sicut tota gens græca levis, factiosa & rixosa fuit; imo omnia scelera impune grassata sunt. Uno verbo dicam: Erat sentina hominum omnium vitiorum genere pollutorum.
- (9) Incolæ *studiis* quidem operam navabant, at potius ad ostentationem ingenii ac facundiæ directorum, quam utilium & sanorum, qua propter Paulus Corinthios ab illis avocat. 1 Cor. I. II.
- 10.) Variæ tunc temporis exstiterunt Philosophorum sectæ, quarum omnes, quamvis plurimæ deteriores factæ essent, 1 Cor. I. 19. sqq. specioso tamen sapientiæ titulo sua insigniverunt dogmata, & sine dubio illæ quoque Corinthi fuerunt.
- 11.) Fertur, Corinthios respectu studiorum præcipue *Diogenis & Epicuri* placita sectatos esse.
- 12.) In Isthmo hæc urbs *certamina* varii generis habuit, ad quæ Paulus respicit 1 Cor. IX. 24. sqq.

Quamvis autem Corinthus sentina esset malorum, tamen Paulus in illa per præconium evangelii ecclesiam Jesu Christo collegit, quod documento est,
Deum

Deum adiutorem habuisse, & forsitan propterea quoque Corinthiacos fideles sigillum sui apostolatus dicit. 1 Cor. IX. 1. 2.

Quod autem PLANTATIONEM hujus ecclesiæ concernit, illa facta est A. C. L. & LI. v. App. §. XLII. ac describitur Act. XVIII. 1-18. ex quo loco liquet, (1) quod Sila & Timotheus in plantanda ecclesia Corinthiaca Paulum adjuverint, Act. XVIII. 5. coll. 2 Cor. I. 19. & hæc est ratio, ob quam Paulus Corinthios in epistola posteriore nomine Timothei, qui ipsi tunc a latere fuit, salutavit. 2 Cor. I. 1. (2) Quod Paulus Corinthi XVIII. menses commoratus fuerit. Act. XVIII. 11. (3) Quod Paulus ad adquirenda ea, quæ ad vitam sustentandam necessaria sunt, manuum suarum operæ vacaverit. Act. XVIII. 3. 1 Cor. IX. 7-15. 2 Cor. XI. 7-10. XII. 13. 14. conf. c. XI. 11. 12. (4) Quod in primis, qui Christo nomen dederunt, Sosthenes fuerit, Act. XVIII. 17. qui tantos in Christianismo profectus fecit, ut Paulus non dubitaverit, eundem Ephesi, ubi ab ipsius latere hæsit, sibi tanquam collegam in epistola adjungere. 1 Cor. I. 1. (5) Quod Paulus ad corruptam Corinthiorum conditionem attendens, *εν φοβω και εν ηρωμω πολλω* Corinthi fuerit, & excitatione divina immediata opus habuerit. Act. XVIII. 9. 10. coll. 1 Cor. II. 3. (6) Quod ecclesia Corinthiaca constiterit *Judeis & gentilibus* conversis, Act. XVIII. 4. 8. coll. 1 Cor. IX. 8. 9. 13. 20. 21. X. 1. sqq. 27. & quod hi illos numero superaverint. v. 8. coll. 1 Cor. XII. 2.

Plantationem secuta est REGATIO, quam præstitit (1) *Appollos*, qui Paulo Asiam peragrante, Corinthum venit, Judæos redarguens, & fideles corroborans, Act. XVIII. 27. 28. XIX. 1. 1 Cor. III. 6. & (2) *PAVLVS*, qui A. ær vulg LVII. Corinthios invisit v. App. §. XLII. Omni cognitione & charismatis spiritualibus hæc eccle-

ecclesia ditata fuit, 1 Cor. I. 4-7. 2 Cor. XII. laboravit autem (quod eo magis mirum, quo diutius Paulus in illa constituenda commoratus est) *multis nevīs*, ex genio loci, philosophia Corinthiaca, astutia Pseudapostolorum, & neglecto evangelii usu attractis. Nam (1) magna inter illos erat dissensio, qui a Paulo instituti & conversi erant, illi se Pauli esse dicebant, qui ab Apollo ad fidem perducti erant., illi se Apollo esse, profitebantur, qui pseudapostolis, Petri auctoritatem jactantibus, adhæserunt, se esse Ἰσχυροὺς asseruerunt, & qui meliora sapere voluerunt, a Christo se nominarunt. c. I. II. 12. (2) Quidam, quibus doctrina pseudapostolorum arrogantium, rhetorica loquacitate & philosophicis argutiis instructorum, & Paulinæ doctrinæ personæque simplicitatem insectantium, placuit, se sapientes factos esse gloriati sunt, & Paulum contra, ejusque affectas stultos putarunt, qui simplici dicendi genere sibi ac religioni Christianæ contemptum, & nimio rigore odium & afflictiones conciliaret. 1 Cor. II. 1. 4. 6. IV. 19. 20. (3) Alii libidini aliisque vitiis dediti fuerunt. 1 Cor. V. 1. 2 VI. VIII. XI. 17-21. 2 Cor. XII. 20. 21. (4) Quidam resurrectionem mortuorum negarunt. c. XV. 12. (5) Nonnulli suum doctorem seque ipsos aliis præferentes, quo id illis persuaderent, charismatis sibi collatis, præsertim dono lingvarum abusi sunt. c. XIV.

II. LOCUS, QVO SCRIPTA. Exaravit Paulus hanc epistolam non Philippis, ut habet *προορραφή*, sed in *Asia*, 1 Cor. XVI. 19. & quidem *Ephesi*, nam (1) Corinthios certiores reddit, se Ephesi mansurum esse, 1 Cor. XVI. 8. & (2) salutatur nomine Apollo, Aquilæ & Priscillæ, 1 Cor. XVI. 12. 19. locus autem, quo Apollo cum Aquila & Priscilla

scilla commercium habuit, est Ephesus. Act XVIII. 18. 19. 24. sqq.

III. **TEMPVS.** Exarata est hæc epistola (1) postquam Paulus Corinthi evangelium prædicaverat, ecclesiamque plantaverat. 1 Cor. I. 2. 14. II. 1. sqq. IV. 15. &c. (2) Ante adventum suum secundum. 2 Cor. XII. 21. (3) Dum Ephesi hæsit. vid. N II. (4) Antequam Epheso Macedoniam adiit. 1 Cor. XVI. 5. (5) Eodem illo anno, quo Ephesum reliquit, nam testatur, se modo usque ad festum Pentecostes Ephesi permanurum esse. 1 Cor. XVI. 8. Verum Paulus Epheso Macedoniam petiit anno æræ vulg. LVII. vid. App. §. XLII. & proinde scripta est hæc epistola anno æræ vulgaris LVII.

IV. **OCCASIO.** Fama non incerta de variis hujus ecclesiæ nævis & scandalis. vid. N. I. coll. c. I. 11. XVI. 17. (2) Epistola Corinthiorum consultatoria, c. VII. 1. quam attulerant Stephana, Fortunatus & Achaicus. c. XVI. 17. (3) Collectio stipis in sublevationem sanctorum pauperum, Hierosolymis degentium. c. XVI. 1. sqq. (4) Comendatio Timothei. c. IV. 17. XVI. 10. 11.

V. **ARGVMENTVM.** Vide Partitionem.

VI. **SCOPVS.** Ille est: Corinthios a malo schismatico & a variis vitæ corruptelis ac scandalis avocare, ad mutuam veri Christiani amoris exercitium Christianam *επιταξίαν*, & puram divinarum veritatum cognitionem perducere, & collectionem stipis largam promovere,

VII. **SINGVLARIA.** (1) Est epistola velut *medica*, corrigens morbos & scandala, rigavit autem Paulus vulnera lacrymis, iisdem medicamenta miscuit. 2 Cor. II. 4. (2) Varietate rerum nulli
secunda

secunda est. (3) *Reformatio Apostolica* appellari potest. (4) Testatur de magno Pauli amore, quo ductus ecclesiae Corinthiacae naevos & defectus patientissime tulit, bonum rectumque laudavit, vitia autem sapienter admodum, & maxima cum circumspectione, nec minus tamen severe reprehendit, & omnia egit, ut res illorum non mediocriter collapsas in integrum restitueret, quem Pauli amorem quilibet praesertim ecclesiae minister hoc potissimum tempore imitari debet. (5) *Stilus* est abruptus & intercisus. (6) Docet, quam facile animae dimoveantur a simplicitate Christiana, quam necessarius sit disciplinae ecclesiasticae usus, & quam durum sit, assveta remittere.

VIII. PARTITIO. Excitantur Corinthii praemisso exordio, c. I. 1-19.

1. ad simplicitatem Christianam, & concordiam. c. I-IV.
2. ad zelum divinum contra incestuosum. c. V.
3. ad fugam litium & libidinum. c. VI.
4. ad prudentiam conjugalem. c. VII.
5. ad prudentiam in usu idololythorum. c. VIII-X.
6. ad *ευλαξίαν* in coetu publico. c. XI.
7. ad prudentiam in usu charismatum. c. XII-XIV.
8. ad spem resurrectionis mortuorum. c. XV.
9. ad collectionem stipis pro Hierosolymitanis. c. XVI.

IX. LOCA NOTATV PRÆCIPVE DIGNA.

C. I 8. 9. 26-30. II. 2. 8-10. 12. 14. 16. III. 6-8. 11. 16-18. 22. IV. 1. 2. 5. 20. V. 7. 8. VI. 2. 7. 9-11. 14. 17-20. VII. 2. 3. 20. 21. 31. VIII. 2-4. 6. IX. 14. 24. 27. X. 12. 13. 16. 24-31. XI. 26-29. XII. 27. 28. 31. XIII. 2. 3-10. 13. XIV. 20. 34. 40. XV. 10. 33. 41-44. 55-58. XVI. 13. 14.

X. LO-

X. LOCA DIFFICILIORA. C. I. 7. (coll. v. II. III. 3.) 17. (coll. Matth. XXVIII. 19.) 23. II. 15. III. 3. II. (coll. Eph. II. 20.) 13. 15. 18. IV. 3. 4. 5. (coll. X. 15.) 13. 15. (coll. Matth. XXIII. 9.) V. 1. 9-11. VI. 2. 4. 12. (coll. VI. 2.) 18. VII. 10. 12. 14. (coll. Eph. II. 3.) 23. (coll. IX. 19.) 24. 25. VIII. 11. (coll. Joh. X. 28.) IX. 9. 15. (coll. I. 29.) 22. (coll. Gal. I. 10.) 24. (coll. Rom. IX. 16.) X. 1-4. 10. 15. (coll. III. 1.) 18. 29. XI. 4. 5-7. 10. 14. 16. 20-22. 24. XII. 3. XIII. 2. (coll. Rom. III. 20.) 5. 7. 9. (coll. I Joh. II. 20.) 12. (coll. 2 Cor. III. 18.) XIV. 2. 3. 32. 38. XV. 4. 8. 19. 20. 24. 26. 28. (coll. Luc. I. 33.) 29. 32. 44. 45. 50. 52. 56. XVI. 5. 6. (coll. 2 Cor. I. 15. 16.) 22.

MEMBRUM III.

DE EPISTOLA II. AD CORINTHIOS.

I. LOCUS, QVO SCRIPTA EST. Ille est *Macedonia*, quam adiit Epheso relicta. c. II. 13. VII. 5. VIII. 1. IX. 2-4.

II. TEMPUS. Scripta est a Paulo anno probabiliter eodem, quo epistola prior exarata est, nam consignata est (1) postquam Epheso Troadem, & inde in Macedoniam venit. 2 Cor. II. 12. 13. VII. 5. VIII. 1. 2. (2) Antequam ex Macedonia Corinthum venit, 2 Cor. IX. 4. & ultimum iter Hierosolymitanum a Luca descriptum suscepit. Act. XX. XXI. Cumque Paulus anno æræ vulgaris LVII. Epheso relicta Macedoniam & Græciam adierit, & anno æræ vulgaris LVIII. mense Aprili Hierosolymam profectus sit, vid. App. §. XLII. tribus mensibus Corinthi exactis, Act. XX. 2. coll. 1 Cor. XVI. 6. epistola posterior ad Corinthios scripta est anno æræ vulgaris LVII. Naufragium itaque illud, quod Paulus passus est ad insulam Melitam, & quod describitur Act. XXVII non est unum ex tribus illis, quæ Paulus 2 Cor. XI. enumerat.

III. OCCASIO. Illam dedit (1) resipiscentia & tristitia Corinthiorum, Paulo, cum Epheso in Macedoniam venisset, relata per Titum. 2 Cor. VII. 5. sqq. (2) Pœnitentia illius, qui incestum commiserat, ejusque receptio instituenda. c. II. 6-11. (3) *Μαξία* nonnullorum adhuc corrigenda. c. VI. 14. sqq. XII. 20. 1. XIII. 1. 10. (4) Propositum veniendi impeditum; promiserat enim, se Epheso Corinthum esse venturum, & Corintho in Macedoniam profecturum, 2 Cor. I. 15. 16. at mutato ob certas rationes consilio profectus erat in Macedoniam, quod & Corinthiis in epistola priori c. XVI. 5. notum fecerat. (5) Nequitia falsorum apostolorum, qui doctrinam evangelicam adulterarunt, & ut auctoritatem Pauli deprimerent, ejus personam & doctrinam traduxerunt, & illum accusarunt *ambitionis*, cujus vestigia in priori epistola, & in vita Pauli se invenisse putarunt, *levitatis*, siquidem se Corinthum venturum promisisset, at promissis non stetit, ex quo collegerunt, Paulum in tradenda quoque doctrina eadem esse levitate, c. I. 12. 13. 17. *nimii rigoris*, quod incestuosum Satanæ tradidisset, *legis eversæ & conculcæ*, *pietatisque labefactæ* per evangelii doctrinam, & *defectus amoris* in Corinthios, c. XI. 11. quibus cum Paulus præsens obviam ire non potuit, hæc litteras opposuit, in quibus Pseudapostolos vivis coloribus depingit, & immensos labores evangelii causa susceptos, visiones & revelationes, ac afflictiones, quas propter Christum perpeffus est, commemorat, & quidem eum in finem, ut apostolatus sui veritatem & originem divinam demonstraret.

IV. ARGUMENTVM. Paulus dilati sui adventus causam exponit, illumque excusat, receptionem illius,

illius, qui incestum commiserat, urget, de ministerio N. T. differit, sinceritatem suam testatur, dignum gratiæ usum inculcat, poenitentes consolatur & erigit, ad beneficentiam excitat, veritatem prædicatam munusque suum defendit, pseudapostolis larvam detrahit, apostolatus sui auctoritatem asserit, calumnias pseudapostolorum dispellit, & adhuc errantes in viam reducere laborat, ex quo simul *scopus* hujus epistolæ liquet.

V. SINGVLARIA. (1) Est epistola *Βαρετα* *της* *Χυρα*, & aptissime vocari potest apologia apostolica. (2) Sicut epistola prior acre vulneribus Corinthiorum vinum infudit, ita hæc posterior oleum. (3) Testatur de eximia Pauli caritate, sapientia, mansuetudine & patientia divina, zeloque divino, quapropter in præstantissimis est ponenda. (4) Instruit doctores & auditores de officiis, quæ illis incumbunt. (5) Est plena admonitionum, gravitatis apostolicæ, & paternorum affectuum.

VI. PARTITIO. Continet hæc epistola capp. XIII.

I. Paracletica. c. I. II. v. I-II.

II. Didascalica de munere apostolico, & *δυναμεις* evangelica. c. II. 12-V. 1-fin.

III. Pædevtica, sive adhortationes ad dignum gratiæ usum in renovatione. c. VI. VII.

IV. Parænetica, seu excitationes ad colligendam stipem in usum Hierosolymitanorum. c. VIII. IX.

V. Apologetica. c. X-XII.

VI. Conclusionem. c. XIII.

VI. LOCA NOTATA PRÆCIPVE DIGNA.

c. I. 5. 20-22. II. 14. III. 5. 6. 16-18. IV. 4. 6. 17. 18. V. 7-10. 14. 15. 17-21. VI. 4-10. 16-18. VII. 1. 4. 10. 11. VIII. 9. 12. 21. IX. 6-8. 15. XI. 2. 3. XII. 6. 9. XIII. 5. 13.

VII. LOCA DIFFICILIORA. C. I. 8. (coll. 1 Cor. X. 13.) II. 15. III. 6. 7-18. IV. 10. 12. 16. V. 3. 4. 11. 13. 16. 19. (coll. v. 20.) 21. VI. 17. VIII. 15. 18. X. 4. 5. 6. 13. 15. XI. 6. 17. (coll. 1 Petr. IV. 11.) 24. (coll. Deut. XXV. 3.) XII. 2. 4. 7. 8. 9. (coll. Jef. LXV. 24.) 9. 10. 16.

MEMBRUM IV.

DE EPISTOLA AD GALATAS.

I. OBJECTUM AUCTORIS. Ecclesia, quæ in *Galatia* Christo collecta fuit. c. I. 1. 2. Hodie hæc regio a Turcis *Gelas* appellatur, & sita est in *Asia minori* s. *Natolia*, ac inclusa ab occasu *Ponto* & *Bithynia*, ab ortu *Cappadocia*, a borea *Ponto Euxino*, a meridie *Pamphylia*, teste PTOLOMÆO Lib. V. cap. III p. m. 61. Majores illorum, qui tempore Pauli hanc regionem incoluerunt, ex *Gallia* venerant & Græcis se miscentes, primum *Gallo-Græci* & *Græco-Galli*, ac postea *Galatæ* dicti sunt, romanumque præfectum acceperunt, postquam ab Augusto in provinciæ formam redacti sunt, teste STRABONE Lib. XII. p. m. 850. sqq. *Metropolis* hujus regionis est *Angyra*, quæ olim *Anchora* s. *Ancyra* audivit, teste PTOLOMÆO Lib. V. c. IV. p. m. 62. a.

Quamvis autem hæc gens fera, crudelis & impia esset, tamen Paulus illam anno ær. vulg. XLIX. adiit, & quosdam ex illa Christo lucrificavit, Act. XVI. 6. Gal. IV. 11. 13. 14-19. quos anno æræ vulgaris LIII. rigavit, Act. XVIII. 23. vid. *Append. §. XLII.*

Collecta fuit hæc ecclesia ex *Judæis*, c. III. 23. 24. 28. IV. 1-3. 9. & *gentilibus*; c. IV. 8. III. 28. V. 2. 3. VI. 12. 13. & quod statum illius *internum* concernit, ille ante aditum *pseudapostolorum* egregius & læta-

lætabilis fuit, c. IV. 14. 15. post illum autem deploratione dignus redditus est. Nam plurimi versutia psevdapostolorum de evangelio Jesu Christi a Paulo prædicati, se abduci passi sunt, c. I. 6. 7. III. 1. & invaluerunt lites, c. V. 15. voluptates, v. 16. & ambitio, v. 26. & cum res Galatarum in hoc statu essent, scripsit Paulus ad illos hanc epistolam.

II. LOCUS SCRIPTIONIS. Exarata est hæc epistola a Paulo probabiliter *Troade*. Nam scripta est, postquam Paulus in Galatia ecclesias plantaverat, vid. Gal. I. 6. III. 1. sqq. IV. 19. easque rigaverat, c. IV. 13. & proinde vel *Ephesi*, quam, rigatione hac peracta, adiit, Act. XVIII. 23. XIX. 1. vel in *Macedonia & Græcia*, Act. XX. 1. 2. vel *Troade*, v. 6. vel *Cæsareæ*, XXI. 8. vel *Hierosolymæ*. v. 17. sqq. Verum non *Ephesi*, nam si eo tempore, quo Paulus in hac urbe degit, Galatæ Christum deseruissent, sine dubio illos adiiisset, & res eorum collapsas in integrum restituere operam dedisset; neque in *Macedonia & Græcia*, nam in his regionibus quosdam modo menses transegit, cumque Galatia tot milliaria ab iisdem distet, procul dubio in illis degens famam de defectione Galatarum non percepit; neque *Hierosolymæ* in vinculis, nam alias pro more illorum meminisset; neque *Cæsareæ*, nam hæc urbs procul abest a Galatia, & idcirco non probabile est, Paulum demum *Cæsareæ* de defectione Galatarum spirituali certiore factum esse; & proinde *Troade*, quam adiit, postquam ex *Macedonia*, in quam *Epheso* relicta profectus erat, *Hierosolymam* contenderet. Procul dubio Paulus *Troadem* veniens, a fidelibus percepit, Galatas psevdapostolis morem gessisse, legemque ceremoniam suscepisse, cumque Paulus per revelationes divinas certior factus esset, se *Hierosolymæ* in vincula datum iri, Act. XX. 21. 22. & proinde se hac

vice Galatas adire non posse, litteris adiit, & huic sententiæ favet, quod Lucas testetur, Paulum, quamvis Hierosolymam properaverit, Act. XX. 16. Troade dies VII. commoratum esse. v. 6. Neque obstat, quod Paulus scribat Gal I. 6. se mirari, *quod tam cito se siverint transferri in aliud evangelium.* Nam si Paulus voce: *Ἰαχews* respiceret tempus, quo Galatæ evangelium susceperunt, ut scripta sit hæc epistola ante irrigationem ecclesiarum Galaticarum, necesse esset, siquidem Paulus has ecclesias anno æræ vulgaris XLIX plantavit, easque demum anno æræ vulgaris LIII. rigavit, vid. *Append. §. XLII.* *Ἰαχews* respicere potest vel *tempus*, quo Galatæ Jesu Christo se dederunt, vel *adventum* psevdapostolorum & defectionem ipsam, ita ut sensus sit, vos Galatæ statim post adventum psevdapostolorum ab evangelio vobis dicato defecistis, s. Psevdapostolis non resististis, sed illico morem illis gessistis, & doctrinam, quam attulerunt, suscepistis. Cumque *Ἰαχews* in sensu priori sumi non possit, ut in sensu posteriori sumatur, necesse est.

III. **TEMPVS.** Si scripta est hæc epistola Troade in ultimo itinere Hierosolymitano, consignata est anno æræ vulgaris LVIII. vid. *Append. §. XLII.*

IV. **OCCASIO.** Illa fuit triplex: (1) Falsorum apostolorum corruptelæ & versutiæ. c. IV. 17. V. 7-12. (2) Galatarum inconstantia in puritate doctrinæ evangelicæ. c. I. 6. III. 1-5. IV. 9. 10. V. 1-4. (3) Vitæ corruptelæ, quæ una cum falsa doctrina irreperant. c. V. 13. 15. 25. 26. VI. 1-10.

V. **ARGVMENTVM.** Paulus confirmat, se esse apostolum a Jesu Christo constitutum, nullumque aliud esse evangelium, quam quod tradidisset; docet, hominem unice per fidem in Christum justificari;

ficari; tradit usum legis per Mosen datæ; differit de ceremoniis legalibus & scopo pseudapostolorum, & ab illis Galatas abducit, eosdemque excitat ad fraternum amorem sanctamque vitam.

VI. SCOPVS. Galatas ad errorum & vitiorum devia abreptos, ad fidei sinceritatem, & Christianam caritatem, vitamque Christiano dignam reducere.

VII. SINGVLARIA. (1) Est compendium epistolæ ad Romanos, & proinde epitome doctrinæ apostolicæ, convenit quoque cum epistola posteriore ad Corinthios. (2) Manu Pauli scripta est, c. VI. II. coll. Rom. XVI. 22. sine dubio in testimonium amoris sui intensissimi, & ne pseudapostoli causarentur, quod supposititia sit. (3) Documento est, quantopere Paulus præcavere studuerit, ne evangelii puritas fermento judaico misceretur. c. I. 8. 9. (4) Docet optimum cum deceptis agendi modum, & genuinam scriptorum polemicorum indolem. (5) Erudit nos, quomodo doctrina de justificatione tractari debeat, scilicet ita, ut neque Pharisaicæ operum justitiæ, neque Epicuræ securitati ansa præbeat. (6) Ostendit, non minorem esse virtutem, quærere quam parta tueri, & quantum beneficium sit, uti institutione fidelis ministri.

VIII. PARTITIO.

I. Exordium. c. I. 1-5.

II. Propositio, quæ est: Defectio ab evangelio ad legem est perniciofa. v. 6-9.

III. Tractatio. Paulus probat propositionem suam

1.) ex certitudine evangelii sui, v. 10-II. 1-14.

2.) ex natura justificationis, qua homo omnino justus pronuntiatur, v. 15-21.

X 3

3.) ex

- 3.) ex effectu fidei justificantis in ipsis Galatis ante hypocrisin legalem, c. III. 1-5.
 4.) ex justificatione Abrahami, v. 6-9.
 5.) ex indole legis, v. 10-14.
 6.) ex usu legis pædagogico, v. 15-IV. 1-20.
 7.) ex abrogatione. v. 21-V. 1-12.

IV. Epilogus, moralem applicationem continens. V. 13-VI. 1-fin. Sive continet

- 1.) *Defensionem* veritatis evangelii a Paulo prædicati. c. I-V. 1-12.
 2.) *Adhortationem* ad fraternum amorem, ambulationem in spiritu, mansuetudinem & beneficentiam, ostenso simul scopo pseudapostolorum. c. V. 13-fin.

IX. LOCA NOTATA PRÆCIPVE DIGNA.

C. I. 4. 8. 10. 15. 16. II. 15. 16. 19-21. III. 13. 14. 26. 27. IV. 4-7. 19. V. 6. 13. 16-24. VI. 1-4. 6-10. 14-16.

X. LOCA DIFFICILIORA. C. II. 4. 6. 17. III. 1. 17.

19. 20. 22. 23. 24. IV. 9. 24. 25. V. 3. 5. 11. 12. 17. 24. (coll. Eph. V. 29.) VI. 15. 17.

MEMBRUM V.

DE EPISTOLA AD EPHESIOS.

I. OBJECTUM AUCTORIS. Missa est hæc epistola a Paulo ad ecclesiam *Ephesinam*, s. eam, quæ *Ephesi* Jesu Christo collecta fuit. c. I. 1. Appellatur hæc urbs nostro tempore a Turcis *Ajasalik* teste SMITHO, & sita est inter Europam & Asiam loco opportunissimo in extremo littore Asiæ minoris, versus occasum, & ferme etiam meridiem. Tempore Pauli metropolis Asiæ propriæ s. in specie sic dictæ fuit, & sedes proconsulis Romani, portu, magnitudine, mercatu-

mercatura, opulentia, incolarum frequentia & templo Dianæ magnificentissimo clarissima, teste STRABONE L. XIV. p. m. 948. sqq. dedita autem quoque superstitioni, magicis artibus, idololatriæ aliisque vitiis. Act. XIX. 19. 23-29. Eph. IV. 19-32. V. 3-5. 12. 18. Nostra ætate teste SMITHO Libro de *septem Asiæ ecclesiis* Traj. ad Rhenum 1694. p. 44. *plane sordet casulis & gurgustiiis deformata, non civitas, sed vicus.*

Plantatio hujus ecclesiæ a Paulo per Dei gratiam peracta est, Act. XVIII. 19. 20. XIX. XX. 17-35 anno æræ vulgaris LIV. LV. vid. *Append. §. XLII.*) quos tres annos Ephesi transegit. Diutius autem hic commoratus est, quia Ephesus, ut altera Corinthus, aliquod quasi Asiæ & Europæ compendium habuit, & evangelio inter Judæos & Græcos longe lateque spargendo commodissima fuit. Nam ob mercaturam & magnitudinem ibi semper magna fuit hominum frequentia, & qui ex Syria Græciam, & ex Græcia ac Ægypto Asiam adire voluerunt, necesse habuerunt, Ephesum petere.

Membra Ephesinæ ecclesiæ fuerunt *Judæi, & gentiles.* Act. XIX. 8-10. & quod ad statum illius *internum* attinet, ex ipsa epistola patet: (1) magna quidem puritate conspicuam, c. I. 3-16. at quoque (2) morbis quibusdam infectam fuisse, c. IV. 14. 22. 25-37. nec (3) majorum corruptelarum periculo caruisse. c. IV. 14. V. 6, Act. XX. 29. Notatu dignum est, quod Paulus in hac epistola illam *ἀλαξίαν*, quam in epistola prima ad Timotheum reprehendit, non commemoret, ex quo conficitur, statum hujus ecclesiæ hoc tempore meliorem fuisse, quam illo tempore, quo Paulus vinculis prioribus Romæ toleratis liberatus, Ephesum reversus est, & discedens Timotheum in ea reliquit. *Emendatio au-*

tem ista saluberrimus fuit fructus visitationis Paulinæ, & operæ illius, quam Timotheus ad ductum epistolæ prioris a Paulo acceptæ, in hanc impendit ecclesiam.

II. **LOCVS, QVO A PAULO SCRIPTA.** Ille est *Roma, in vinculis.* c. III. i. IV. i. Sunt, qui putant, quod a Paulo in vinculis prioribus scripta sit, urgentes, quod per Tychicum missa sit, Eph. VI. 21. coll. Col. IV. 7. 8. & quod Eph. V. 22. sqq. eadem legantur, quæ Col. III. 18. sqq. Verosimilius autem est, hanc epistolam a Paulo exaratam esse in vinculis *posterioribus.* Nam (1) Timotheum sibi non jungit, qui in vinculis prioribus ipsi adfuit, cujus quoque mentionem in epistolis in vinculis prioribus scriptis, injicit; & (2) refert, se Tychicum Ephesum misisse, cap. VI. 21. 22. quod Timotheo narrat. 2 Tim. IV. 12. vid. quoque N. I.

III. **TEMPVS.** Scripta est a Paulo anno æræ vulg. LXVII. vid. *Append. §. XLII.*

IV. **OCCASIO.** Illa fuit, (1) metus scandali ex afflictionibus Pauli orituri. c. III. i. 13. (2) Metus corruptelarum ex psevdapostolis exoriturarum. Act. XX. 29. Eph. IV. 14. coll. Apoc. II. i. sqq. (3) Metus, ne concordia inter Judæos & gentes tolleretur. c. IV. i. sqq.

V. **ARGVMENTVM.** Paulus gratias Deo agit pro gratia Ephesiis collata, incrementa illis precatur, præcipuos fidei articulos exhibet, discrimen inter Judæos & gentes in N. T. esse sublatum, unicuique aditum ad eandem gratiam, per eandem veræ fidei viam, neglecta cultus Levitici observantia patere, & omnes conversos sub uno capite Jesu Christo esse unitos, demonstrat, officium suum apostolicum commendat, singulosque hortatur,

tatur, ut se ceu æquales considerent, concordiam ament, & Deo serviant in vera spiritus unitate pure & incorrupte, nullisque cedant tentationibus.

VI. SCOPVS. Ephesios in fide confirmare, adversus discordiam & scandalum crucis munire, & ad uberrimos fidei fructus edendos excitare.

VII. SINGVLARIA. (1) Est plena sententiis & dogmatibus sublimibus; quæque in reliquis epistolis non leguntur, in hac traduntur. (2) Tradit summam doctrinæ Christianæ tanquam in nudis articulis, brevissime, & sine prolixis probationibus & refutationibus. (3) Docet nos, Paulum veritatem divinam pro diversis circumstantiis diversa ratione tractasse. (4) Siftit nobis amorem Dei universalem in Judæos & gentes. (5) Ostendit, communionem gratiæ Jesu Christi unicum & verum omnis sinceræ caritatis concordiaque esse fundamentum, & nobis incumbere, pacem in ecclesia Dei quærere & conservare. (6) Paulus Judæos alloquens, usurpat: *ἡμεῖς ἡμᾶς*, nos, & gentiles appellans: *ὑμεῖς ὑμᾶς*, vos.

VIII. PARTITIO. Epistola duas habet partes, quarum

Prior dogmatica docet, 'quod omne *discrimen reale* inter *Judæos & gentes* in Christum credentes sublatum sit, & Judæi cum gentibus *unum* constituent ecclesiae corpus sub *uno capite Christo*, s. agit de universalitate gratiæ evangelicæ, dignoque ejus usu, ubi post inscriptionem & salutationem describuntur

I. Gratia consortes, qui sunt

1.) Judæi. c. I. 3-II.

2.) Gentiles, speciatim Ephesii, quibus

X 5

(a) com.

- (a) communionem gratiæ tribuit, v. 12.
14.
(b) incrementum apprecatur. 15-23.
3.) Utrique, ubi
(a) Status naturæ & quidem gentium.
II. I. 2. ac Judæorum. v. 3.
(b) Status gratiæ. v. 4-10.
(c) Illatio ad gentiles. v. 11-22.
II. Preces pro digno gratiæ usu. c. III. 1-23.
Posterior practica f. pædevtica, ubi
I. Monita universalialia ad omnes. IV. V. 1-21.
II. Monita singularia. v. 21-VI. 1-9.
Conclusio. c. VI. 10-fin.

IX. LOCA NOTATA PRÆCIPVE DIGNA.

C. I. 3-7. 13. 14. 17-20. 22. 23. II. 1-5. 8-10. 18. 20. 21. III. 8.
10. 12. 14-21. IV. 11-16. 18-25. 28-32. V. 2-6. 8. 11. 18-27. 31. VI. 1-19.

X. LOCA DIFFICILIORA. C. I. 23. II. 7. 14. 15.

III. 9. 15. (coll. Joh. VIII. 44.) 16. 18. IV. 6. 9. 13. 19. (coll. Rom.
I. 28.) 26. (coll. Matth. V. 22. 27.) V. 13. 14. 16. 30. VI. 2. 12.
14. 15.

MEMBRUM VI.

DE EPISTOLA AD PHILIPPEN-
SES.

I. OBJECTVM AVCTORIS. Ecclesia *Philippensis*, f. cœtus eorum, qui *Philippis* cum Christo vera fide uniti fuerunt. c. I. 1.

Hæc *urbs* non procul a mari *Ægeo*, inter *Apoloniam* & *Amphipolin*, in regione feraci ac optima sita erat. Olim *Crenides*, teste STRABONE L. VII. p. m. 511. ob *κρηνας* i. e. fontes circa illam scaturientes, nominata est, at cum a vicinis Thracibus

bus incolæ hujus urbis bello premerentur, *Philippus* his auxilium tulit, urbem illorum munivit, amplificavit, & de suo nomine *Philippos* appellavit, imo hanc *Thraciæ* partem inter *Strymonem* & *Nestum* fluvios sitam, *Macedoniæ* adjecit. Romani autem victo *Perseo* rege *Macedoniam* in IV. partes diviserunt, quarum una & prima illa *Thraciæ* pars fuit, & post superatos in campis *Philippicis Brutum* & *Cassium* *AVGVSTVS* coloniam Romanam italici juris *Philippis* constituit, unde hujus *Macedoniæ* partis *primaria* existit. Act. XVI. 12. 21. Quod in illa quoque *Judæi* habitaverint, & quod conditio illorum durior fuerit, patet ex Act. XVI. 13. 20-23. vid. Dissert. D. *SALTHENII* de *Inscriptionibus epistolarum Paulinarum*.

Plantatio hujus ecclesiæ facta est a *Paulo*, qui in visione nocturna in *Macedoniam* vocatus, *Philippos* adiit, Act. XVI. 8. sqq. A. ær. vulg. XLIX. vid. *Append. §. XLII.* *Lucas* quidem l. c. tantum conversionis *Lydiæ* & carceris præfecti meminit, forsitan vero plures *Christo* nomen dederunt. *Phil.* I. 3-5. Post VIII. annos *Paulus* illos iterum *invisit*, & quidem *bis*. Nam cum *Troade* relicta per *Macedoniam* in *Græciam* profectus, & ex *Græcia* in *Macedoniam* reversus est, *Philippos* adiit; Act. XX. 1. 2. 3. 6. & omni hoc tempore numerus fidelium ita crevit, ut plures *episcopos* s. *presbyteros* & *diaconos* haberint, cum *Paulus* has litteras ad illos dedit. c. I. 1.

Constitit hæc ecclesia *Judæis* & *gentilibus* *conversis*, Act. XVI. 13. sqq. *Phil.* III. 2. 3. & quasi *primogenita* *Pauli* in *universa* *Macedonia* fuit, unde eam tanquam *primitias* suas tenerrimo profecutus est amore. Acerbas vexationes s. *perpeffiones* experta est, c. I. 7. 29. 30. quæ illam ad *incitas* redegerunt,

gerunt, 2 Cor. VIII. 1. 2. quod tamen eam non impedivit, quo minus & tunc singulari alacritate etiam supra vires sanctis inserviret, v. 3. 4. & Paulo, quæ opus erant, Romam mitteret. Phil. IV. 10. 14. 18.

Status Philippensium fidelium *internus* fuit *florentissimus*, nam fideliter doctrinam a Paulo acceptam custodiverunt, & doctrinæ apostolicæ obedientes se præstiterunt, c. I. 5. II. 12. suumque intensissimum in Paulum amorem, subsidiis illi tribus vicibus missis, abunde testati sunt; Phil. IV. 16. 18. imo soli Paulo dederunt ea, quæ ad sustentationem vitæ necessaria erant; c. IV. 15. quapropter a Paulo magnis ornantur laudibus. c. I. 3. 5. 7. 29. 30. II. 15. III. 3. 15. IV. 1. 14-18. At *disparem eorum internam conditionem* fuisse, docet epistola, nam (1) inter quosdam animorum & sententiarum diffidia invaluerant, c. II. 2. 3. 14. IV. 2. quæ sine dubio inde exorta, quia hic cœtus perinde ac ceteri ex Judæis ac gentilibus collectus fuit. Rom. XIV. 1. 1 Cor. VIII. 7. sqq. (2) Quidam ambitioni dediti, seu inanis gloriæ cupidi erant. c. II. 3. 4. (3) Nonnulli anxii erant de evangelio Christi, cujus cursus Pauli vinculis impeditus, & a pseudopostolis turbatus fuerat, c. I. 12. sqq. III. 2. de vita Pauli, quam in summo versari discrimine credebant, c. I. 20. sqq. & de sua quoque ipsorum in fide constantia; c. II. 16. imo quidam sua calamitate, & Pauli tam diuturnis vinculis nimis fracti & afflicti, tristes demiserant animos. c. II. 18. III. 1. IV. 4. 6. 7.

II. INSCRIPTIO PAVLINA. Paulus se in illa non apostolum, sed servum Jesu Christi appellat, & quidem, ut Timotheum, remoto quasi inter se atque illum discrimine, eo facilius Philippensibus commendaret, c. II. 19. sqq. & ut in ipso statim initio

initio inflatas quorundam vana opinione mentes suo exemplo sine objurgatione ad modestiam revocaret, c. II. 1. sqq. & illos suaviter commonefaceret, ad quemcunque gradum se ascendisse putarent, nihil tamen esse nisi servos Jesu Christi. Posuit autem sibi Timotheum ad latus in hac epistola, & illis ad Colossenses & Philemonem, quia magnum ejus nomen fuit in ecclesiis Asiæ & Macedoniae.

III. LOCUS, QVO SCRIPTA EST. Ille est *Roma*, cum ibidem in vinculis esset, c. I. 7. 13. 14. 22. & quidem *prioribus*, ceu patet e spe Pauli recuperandæ libertatis, & ministerii sui continuandi, c. I. 25. II. 24. e mentione vinculorum in universo prætorio manifestatorum, c. I. 12. 13. & ex præsentia Timothei. c. I. 1. II. 19.

IV. TEMPUS SCRIPTIONIS. Exarata est a Paulo circiter anno æræ vulgaris LXII. vid. *App.* §. XLII. post scriptas epistolas ad Colossenses & Philemonem, nam epistola ad Philippenses missa est per Epaphroditum, c. II. 25. 29. cum autem epistolas ad Colossenses & Philemonem misit, ille a latere Pauli fuit. Col. IV. 12. Philem. 23.

V. OCCASIO. (1) Subsidium vitæ Paulo a Philippensibus, per Epaphroditum, virum apostolicum, qui hanc ecclesiam rexit, c. II. 25. missum. c. IV. 10-18. (2) Narratio Epaphroditum de statu Philippensium, ac de periculo, quod eisdem a falsis doctoribus impendit, nam illi Judaïsmum svaserunt occasione capta ex vinculis Pauli, & malis, quæ Christianis non judaizantibus imminere videbantur. c. I. 28. III. 2. 18 19. (3) Epaphroditum desiderium ad Philippenses revertendi, c. II. 25. 26. præstitis illorum vice Paulo officiis. v. 30. (4) Pauli propo-

propositum Philippenses revivendi & Timotheum præmittendi. c. I. 24-26. II. 23. 24.

VI. SCOPVS PAVLI. Ille fuit, per Epaphroditum tenerrimum amoris sui affectum, statum suum, gratamque mentem pro subsidiis indicare, eundemque Philippensibus commendare, Timothei & suum adventum promittere, ad fidem & fidei praxin Philippenses excitare, & adversus insidias eosdem præmunire,

VII. SINGVLARIA. (1) Nulla epistola Pauli perinde pathetica, & paternis affectibus referta est. (2) Scripta est quidem in vinculis, lætior autem, alacrior & blandior ceteris est. (3) Siftit nobis flagrantissimum Pauli in Philippenses amorem; & ingentem de statu illorum sollicitudinem. (4) Docet, quod Deus ex malis bonum elicere sciat, & quod afflictiones cursum evangelii promoveant. (5) Paulus fere aliud agendo doctrinas tractat, & inculcat præcipue constantiam in fide, concordiam & obedientiam.

VIII. PARTITIO.

I. Exordium. c. I. 1-11.

II. Relatio de statu suo ac evangelii. Vers. 12-26. v. 15-19. parenthesis includi debent.

III. Adhortatio parenthetica ad certamen fidei, & praxin bonæ conscientie. v. 27-II. 1-16.

IV. Spes de Timotheo mittendo, & commendatio Epaphroditi jam missi. v. 17-30.

V. Præmonitio a deceptoribus, & adhortatio ad imitationem Pauli. c. III-IV. 1.

VI. Monita varia. c. IV. 2-9.

VII. Evcharistia pro subsidiis missis. v. 10-19.

VIII. Conclusio. v. 20-23.

IX. Lo-

IX. LOCA NOTATV PRÆCIPVE DIGNA°

C. I. 5. 6. 9-11. 21. 23. 27. 29. II. 3-15. III. 7-10. 12-14. 17-21. IV. 6. 7. 8. 12. 13°

X. LOCA DIFFICILIORA. C. I. 7. 9. 15. 18. 30. II.

1. 6. 10. 17. 21. 27. (coll. c. I. 23.) III. 5. 11. 13. (coll. v. 15.)
19. 20. IV. 3. 5. 7. 15. 17.

MEMBRVM VII.

DE EPISTOLA AD COLOSSENSES.

I. ECCLESIA, AD QVAM A PAVLO MISSA.

Illā est *Colossensis*, s. cœtus eorum, qui *Colossis* in Christum crediderunt, c. I. 1. 2. quæ erat urbs celebris, magna & opulenta, in Phrygia, regione Asiæ minoris sita, teste XENOPHONTE L. de expeditione Cyri p. m. 105. & STRABONE L. XII. p. 867. vicina *Laodiceæ* & *Hieropoli*, c. II. 1. IV. 13. 15. 16. quibuscum terræ motu concidit, testibus OROSIO L. VII. c. VII. p. m. 161. in *Histor. Christ. vet. Patr.* p. 222. & EVSEBIO in *Chr.* anno post mortem Pauli. Cum autem in apocalypsi mentio fiat *Laodiceæ*, putant nonnulli, urbes has quidem horribiliter concussas, magna ex parte corruisse, non autem penitus everfas esse. Obstat vero, quod ad *Colossas* attinet, quod hæc urbs apud PTOLOMÆVM non reperiatur. Turcæ *Colossas Chonos* appellant, teste SMITHO L. de VII. Asiæ ecclesiis. p. 39.

Ecclesia hæc plantata est ab EPAPHRA, c. I. 7. II. 1. tempore nobis incerto, constitit ex *Judæis* & *gentilibus*, c. II. 11. 13-16. 21. & status illius fuit *florens*, c. I. 4-8. II. 5. imminuit autem illi corruptionis periculum. c. II. 4. 8. 18-20. &c.

II. **LOCVS SCRIPTIONIS.** Exarata est a Paulo Romæ in *vinculis*, ceu constat ex mentione Onesimi Colossensis, tanquam latoris hujus epistolæ, c. IV. 9. coll. Ep. ad Philemonem v. 12. 1. 9. 10. 13. & ex mentione vinculorum. c. IV. 3. 18. Et quod *priora* intelligenda sint, liquet ex salutatione Timothei, qui in *vinculis* posterioribus Pauli non adfuit, Col. I. 1. coll. 2 Tim. IV. 9. & Demæ, qui Paulum in *vinculis* posterioribus deseruit, c. IV. 10. 14. coll. 2 Tim. IV. 10. nec non ex mentione Onesimi. vid. Membr. XIII. N. II.

III. **TEMPVS SCRIPTIONIS.** Scripta est circiter A. ær. vulg. LXII. eodem tempore, quo scripta est epistola ad Philemonem, nam in utraque, Col. IV. 12. 13. Philem. 23. Epaphras comes & concaptivus Pauli appellatur, & Col. IV. 10-14. & Philem. 24. iidem Pauli socii commemorantur, immo utraque probabiliter per Onesimum allata est. Col. IV. 9. Philem. 12.

IV. **OCCASIO.** (1) Epaphræ, Romam ad Paulum captivum profecti, narratio de statu Colossensium egregio. c. I. 4. 7. 8. (2) Affectus amoris, quo Paulus complexus est ecclesias etiam nondum visas. c. II. 1. (3) Insidiæ & corruptelæ falsorum doctorum, c. II. 4. 8. 16. 18. a quibus Colossenses eo facilius induci poterant, quia Paulum de facie non viderant. (4) Epistola a Laodicensibus ad Paulum missa, ad quam in hac epistola respondet. c. IV. 16. Forsitan quoque Epaphras Paulum ad scribendum impulit, illumque rogavit, ut periclitanti ecclesiæ succurreret.

V. **SCOPIVS.** Colossenses in veritate doctrinæ evangelicæ confirmare, adversus falsos doctores præmunire, & ad veritatis praxin in vitæ sanctimonia eos adhortari.

VI. **SIN-**

VI. SINGVLARIA. (1) Tradit egregie verum Christianismi fundamentum, & totum illius ordinem, arctissimamque omnium præcipuarum ejus partium connexionem. (2) Excogitatos præter & contra Dei verbum cultus profligat, c. II. 18. 21-23. & tangit controversiam illam, quæ istis temporibus præcipua fuit, & in epistola ad Romanos, Galatas & Ephesios tractatur. (3) Est compendium epistolæ ad Ephesios, & eadem in hac epistola est differentia inter *υμεις* & *ημεις*, qualem in epistola ad Ephesios observamus. conf. Membr. V. N. VII. (4) Est polemici generis, ac propterea optimam controversias tractandi methodum tradit. (5) Laodicensibus quoque destinata est. c. IV. 16.

VII. PARTITIO. Continentur capp. IV. post inscriptionem & salutationem

I. Didascalica, ubi Colossenses in Christianismo confirmantur. c. I.

II. Elenctica, corruptelis doctrinæ opposita. c. II.

III. Pædevtica

1.) generalia ad depositionem veteris, & inductionem novi hominis, c. III. 1-17.

2.) specialia. v. 18-IV. 1.

IV. Conclusio. cap. IV.

VIII. LOCA NOTATA V PRÆCIPVE DIGNA.

C. I. 10-14. 20-23. II. 3. 6. 7. 9. 10. 13. 16. 17. III. 2-4. 10. 15-17. 19. 20-25. IV. 1.

IX. LOCA DIFFICILIORA. C. I. 15. 18. 24. II. 8-9.

(coll. Hebr. II. 17.) II. 14. 15. 18. 20. 22. 23. III. 2. (coll. 1 Tim. V. 8.) 14. IV. 5. 6. 16.

MEMBRVM VIII.

DE EPISTOLA I. AD THESSALONICENSIS.

I. ECCLESIA, AD QVAM A PAVLO SCRIPTA. Illa est *Thessalonicensis*, s. cœtus Christianus in urbe *Thessalonica*. c. I. i. Fuit hæc urbs *liberæ conditionis*, teste PLINIO H. N. L. IV. c. X. p. m. 434. & primaria Macedoniæ propriæ civitas, præ aliis hominum copia florens, docente STRABONE L. VII. p. m. 498. quemadmodum & nostro ævo frequentia hominum abundat. Olim appellata est, si STRABONI credere licet L. VII. p. m. 509. *Thermæ*, & si STEPHANO *Byzantino* fides habenda, *Halia*, postea vero *Thessalonica* dicta est, quod nomen quidam cum JVLIANO a victoria Philippi, de Thessalis illic reportata, alii autem STRABONEM secuti L. VII. p. 510. ab uxore Cassandri *Thessalonica*, filia Philippi, derivant. *Amurates*, Turcarum imperator, hanc urbem & reliquam Græciam Venetis eripuit, qua clade motus THEODORVS GAZA *Thessalonicensis* & alii viri docti, relicta Græcia se in Italiam contulerunt, & græcæ lingvæ studia in totam Europam propagarunt. vid. J. A. FABRICII *Bibliothec. græc.* Vol. IX. Hamb. 1719. p. m. 192. Nostra ætate appellatur *Salonichi*.

Plantatio hujus ecclesiæ a Luca describitur Act. XVI. 1-9. & proinde a Paulo peracta est anno æræ vulgaris XLIX vid. *Append. § XLII*. Ex loco autem excitato & epistola ad *Thessalonicenses* liquet, (1) Paulum per III. sabbata in synagoga Judæorum evangelium prædicasse; Act. XVII. 2. (2) aliquot ex Judæis, ex profelytis autem & gentibus magnam multi-

multitudinem utriusque sexus ad fidem in Christum perduxisse; v. 4. (3) sub variis afflictionibus ecclesiam plantasse, Act. XVII. 5. 1 Theff. II. 2. & noctu & interdiu manu sua, ad sui & fortasse quoque sociorum suorum sustentationem laborasse, ne cuiquam esset oneri; c. II. 7-9. 2 Theff. III. 7-9. (4) Thessalonicenses insigni προθυμια præconio evangelii locum reliquisse; Act. XVII. 4. 1 Theff II. 13. (5) gravissimas afflictiones Christi causa perpessos esse, & has nequaquam gregis numerum imminuisse, nec alios a fide in Jesum Christum deterruisse; Act. XVII. 5. 1 Theff. I. 3. 6-8. II. 13. 14. III. 3. 4. 7. 8. (6) Paulum in plantanda ecclesia Silam s. Silvanum & Timotheum socios habuisse. Act. XVII. 10. sqq. XVIII. 5. 1 Theff. III. 1. sqq. Et hanc ob causam non suo tantum, sed etiam Silæ & Timothei nomine hanc epistolam inscripsit, & quia Silas vir inter fratres primarius & propheta, Act. XV. 22. 32. ac propterea auctoritate medius inter Paulum & Timotheum, s. minor Paulo, & major Timotheo fuit, ut omnem evitaret difficultatem, sola nomina apposuit, sine ulla cujusdam muneris mentione.

Constitit hæc ecclesia ex *Judeis*, 1 Theff. II. 14. & *gentibus*, c. I. 9. conf. Act. XVII. 4. statim post plantationem gravibus vexationibus pressa est, vid. N. V. & donis extraordinariis ditata fuit. 1 Theff. V. 19-21. *Status* ecclesiæ hujus *internus* egregius fuit, nam multis in afflictionibus constantiam suam probaverat & declaraverat, ac puritate omnes reliquas ecclesias anteivit, iisque exemplum fidei & infucae pietatis pulcherrimum præbuit; 1 Theff. I. 3-9. II. 1. 12. 13. 14. 19. 20. III. 6. 7. 8. IV. 9. 10. fuerunt tamen quidam *αλαχτοι*, tanquam lolia inter triticum. Notatu dignum est, quod hæc ecclesia puritate

Corinthiacam longe superaverit, quamvis Paulus Corinthi XVIII. menses, & Thessalonicæ tantum XXI. dies commoratus sit. Act. XVII. 2. XVIII. 11.

II. **LOCVS.** Exarata est hæc epistola a Paulo non Athenis, ut vult *προγραφή*, sed *Corinthi*. Nam scripsit Paulus illam (1) postquam Thessalonicæ evangelium prædicaverat; 1 Thess. I. 5. 6. 9. II. 1. 2. 7. 8. 9. 13. (2) postquam Timotheus, quem Paulus Athenis Thessalonicam miserat, 1 Thess. III. 1-2. inde ad Paulum jam Corinthi agentem reversus, eundem de florentissimo ecclesiæ illius statu interno certiores reddiderat; 1 Thess. III. 6. sqq. Act. XVIII. 5. (3) statim post adventum Timothei & Silæ. 1 Thess. III. 6. sqq. Verum Paulus tunc temporis Corinthi fuit, Act. XVIII. 5. coll. v. 1. ibique mansit menses XVIII. v. 11. & proinde Paulus Corinthi epistolam priorem ad Thessalonicenses exaravit.

III. **TEMPVS.** Postquam Paulus sub finem anni ær. vulg. L. Corinthum pervenit, ibidem hæsit menses XVIII. (vid. N. II. & Append. §. XXXXII.) cumque hæc epistola scripta sit a Paulo statim post suum adventum in hanc urbem, probabiliter consignata est anno æræ vulgaris L.

IV. **OCCASIO.** Illa fuit (1) propositum Thessalonicenses invisendi impeditum. c. II. 17. 18. (2) Reditus & narratio Timothei & Silæ de egregio ecclesiæ statu, nam Paulus Thessalonica Athenas profectus, audiens, Thessalonicæ persecutionem fervere, metuens illorum teneræ imbecillitati & quasi infantia, ac veritus, ne se absente Satan Thessalonicensium fidem labefactaret, misit aut ex itinere, aut Athenis, 1 Thess. III. 1. Timotheum Thessalonicam, ut fideles in fide confirmaret, & de
affli-

afflictione consolaretur, quæ illis contigerunt a Judæis post suum discessum, c. III. 1-5. ac illo cum Sila reverso ad Paulum Corinthi agentem, Act. XVIII. 5. & exponente statum illorum egregium, 1 Thess. III. 6. Paulus scripsit hanc epistolam. (3) Insidiæ pseudapostolorum. 2 Thess. II. 1-3. (4) Desiderium Pauli, Thessalonicensibus ea, quæ audiverant, in memoriam revocare, & scripta tradere.

V. SCOPVS PAVLI. Thessalonicensibus gaudium ex fide, amore & patientia eorum conceptum testari, ac eosdem adversus crucis scandalum præmunire, in afflictionibus, quibus pressi sunt, consolari, ad firmitudinem animi amplius tuendam, & ad incrementum in fide & sanctitate, ac præprimis in caritate & obedientia erga doctores excitare, & in doctrina de adventu Domini & resurrectione mortuorum confirmare. Quod autem Paulus hunc scopum attigerit, patet ex 2 Thessal. I 3. 4.

VI. SINGVLARIA. (1) Est prima epistolarum Pauli superstitum. (2) Nulla in ea est disputatio cum pseudapostolis (3) Paulus nullam epistolam teneriore affectu scripsit, quam hanc priorem & posteriorem ad Thessalonicenses. (4) Ob oculos nobis ponit ardentissimum Pauli in pios amorem, gaudium sanctissimum de gratia Dei in hominibus, maximam in muneris sui apostolici administratione dexteritatem, & purioris cognitionis Jesu Christi desiderium flagrantissimum.

VII. PARTITIO. Continentur capp. V. post inscriptionem & salutationem

I. Epænetica, s. laudatoria, ubi

1. Laudabilis & exemplaris ecclesiæ status.

c. I.

Y 3

2) Oc-

2) Occasio felicitatis eorum status, nempe calamitosum quidem, fidelissimum tamen & animosum Pauli ministerium. c. II.

3) Corroboratio florentis status per missionem Timothei. c. III.

II. Parænetica, ubi

1) commendatur studium invalescendi, sanctimonia vitæ, & fuga immoderati luctus, c. IV.

2) quod uberius applicatur & explicatur, addita conclusione. c. V.

VIII. LOCA NOTATA PRÆCIPUE DIGNA.

C. I. 6. 9. II. 4. 11-13. IV. 1. 3. 8. 11. V. 5. 8. 15. 18. 21-24.

IX. LOCA DIFFICILIORA. C. I. 3. 10. II. 19. 20. (coll.

1 Cor. I. 31.) IV. 4. 5. (coll. Rom. I. 19.) 16. 17. V. 17. 19. 23.

MEMBRUM IX.

DE EPISTOLA II. AD THESSALONICENSIS.

I. LOCUS ET TEMPUS. Scripsit Paulus hanc epistolam paulo post priorem, (vid. c. II. coll. 1 Theff. IV.) exaravit autem illam Corinthi sub finem anni æræ vulgaris L. paulo post suum adventum in hanc urbem, cumque ibi menses XVIII. hæserit, consignavit posteriorem epistolam ad Thessalonicenses probabiliter anno æræ vulgaris LI.

II. OCCASIO. Illa fuit (1) incrementum spirituale Thessalonicensium. c. I. 3. 4. (2) Afflictiones adhuc durantes. c. I. 4-7. (3) Erronea interpretatio prioris epistolæ in doctrina de adventu Jesu Christi, psevdropphetia de adventu ejus, tanquam jam tum instante & suppositio falsæ epistolæ. c. II. 1. sqq (4) Propositum Thessalonicenses invisendi denuo impeditum. 1 Theff II. 17. 18. III. 10. 11. (5) Nonnullorum vita in externis inordinata. 2 Theff. III. 11. III. Sco-

III. SCOPVS. Doctrinam de adventu Christi non recte intellectam uberius explicare, afflictos erigere, & inordinate ambulantes corrigere. c. II. 2. 15. III. II.

IV. SINGVLARIA. (1) Edocet nos, divinam veritatem facile in peregrinum sensum rapi posse, & in hoc casu officium doctoris esse, perspicua verborum suorum explicatione infirmioribus succurrere. (2) Documento est, in optimo etiam ecclesie statu, & medias inter afflictiones facile rerum confusionem oriri posse, & doctoris esse, praeavere, ne istiusmodi res inordinatae invalescant, sed e medio tollantur. (3) Siftit nobis *σημειον*, quo Paulus suas epistolas a spuris distinxit, & quod fuit clausula saluatoria ipsa Pauli manu adscripta. c. III. 17. Monitum autem, quod l. c. exstat, Paulus ideo addidit, quia c. II. 2. mentionem fecerat litterarum, a pseudapostolis suo Pauli nomine suppositarum.

V. PARTITIO. Continentur capitibus III.

1. Didascalico-paracletica, ubi in statu Thessalonicensium laudabili quidem, at afflictissimo, & poena affligentium, & praemia afflictorum ostenduntur. cap. I.
2. Didascalico-prophetica, ubi ostenditur Anti-Christologia. c. II.
3. Paedevtico-epanorthotica, ubi commendatur studium precum, & fuga inordinate ambulantium. cap. III.

VI. LOCA NOTATAV PRÆCIPVE DIGNA.

C. I. 6-10. H. 10. II. 13. III. 6. 10-12. 14.

VII. LOCA DIFFICILIORA. C. I. 9. II. 2. 3. 4. 7. 9.

III. 2.

MEMBRVM X.

DE EPISTOLA I. AD TIMOTHEVM.

I. PERSONA, AD QVAM A PAVLO MISSA. TIMOTHEVS, unus virorum apostolicorum s. evangelistarum. Nomen ejus denotat *honorem Dei s. honorantem Deum*, aut *pretiosum Domino*. Natus fuit *patre græco, & matre Judæa, Lystræ*, oppido Lycaoniæ. Act. XVI. 1. 2. Matrem habuit *Eonicam, & aviam Loidem*, quarum fides sincera a Paulo laudatur. 2 Tim. I. 5. A teneris sacras litteras didicit. 2 Tim. III. 15. A Paulo, cum Lystræ egit, Act. XIV. ad fidem in Christum perductus est. 1 Tim. I. 2. 2 Tim. III. 11. Quum Paulus illum genuinum expertus esset, & deprehenderet, insigni illum ab ecclesia ornari elogio, in animum induxit, eum itinerum suorum comitem & evangelii ministrum sibi allegare, quum autem præputium Judæis valde invisum esset, ut illos Christo lucrifaceret, Timotheum vel sua manu circumcidit, vel circumcidi jussit, circumcisionis usum & intermissionem e locorum, temporum ac personarum ratione metiens. Act. XVI. 1. sqq. Postea ætate quidem novellus, at in fidei & virtutis laude provectus, Pauli in prædicatione evangelii cooperarius factus, ceu patet ex Actis & inscriptionibus epistolarum, varias evangelii & ecclesiæ Jesu Christi causa legationes obiit. 1 Cor. IV. 17. XVI. 10. 1 Theff. III. 2. Paulo ob fidem, alacritatem & abnegationem eximiam, studiumque, salutem hominum promovendi, præ aliis carus & dilectus fuit. Phil. II. 19-22. Vincula propter Christum sustinuit, quibus vero solutus est. Hebr. XIII.

XIII. 23. Tandem a Paulo ecclesiæ Ephesinæ episcopus constitutus est. 1 Tim. I. 3. Appellatur a Paulo *τεκνος γνησιος*, 1 Tim. I. 2. 2. Tim. I. 2. *τεκνος αγαπηλος και πιστος εν κυριω*, 1 Cor. IV. 17. *αδελφος και διακονος Ιηθεσ, και συνεργος εντω ευαγγελιω του χριστου*, 1 Thess. III. 2. Rom. XVI. 21. 1 Cor. XVI. 10. & *δουλος Ιησου χριστου*. Phil. I. 1.

II. LOCUS SCRIPTIIONIS. Probabiliter exarata est *Philippis in Macedonia*. Nam relicto Timotheo Ephesi, in Macedoniam trajecit, 1 Tim. I. 3. & sine dubio *Philippenses* adiit, & aliquamdiu apud eos commoratus est, ut promissa sua explet; Phil. I. 25. II. 24. & hoc tempore probabiliter hanc ad Timotheum scripsit epistolam, siquidem illi spem facit, se brevi Ephesum rediturum. 1 Tim. III. 14.

III. TEMPVS. Scripta est probabiliter anno æræ vulgaris LXV. & ab adsumto in ministerium Timotheo anno XVII. vid. *Append. §. XLII.*

IV. OCCASIO. Paulus ex Italia Ephesum reversus, nec paucos nec exiguos deprehenderat *navos*, nam erant seductores legem Mosis urgentes, & homines curiosi, de frivolis quæstiunculis garrientes, neglecta primaria & ad ædificationem necessaria doctrina, 1 Tim. I. 3-10. IV. 7. VI. 3-5. erant quoque sat multi officia Christiana non explentes, sed inordinate ambulantes, c. II. 8-15. III. 11. 12. V. 4-16. 20. VI. 1. 2. 6-10. 17-19. imo Alexander & Hymenæus de fide defecerant, & sine dubio alios in suas partes trahere aliaborarunt. 1 Tim. I. 19. 20. Non est dubium, quin Paulus his navis tollendis ipse coram dederit operam; quum vero tanti mali medela moram postularet

laret longiorem, Paulus vero promissi sui memor in Macedoniam properaret, *Timotheum Ephesireliquit*, ut curanda curaret, & ut illud convenienter & cum auctoritate facere posset, illum hac epistola tanquam diplomate aliquo apostolico instruxit, quod eo magis necessarium fuit, cum non defuerint quidam superbi *Timotheum* despicientes. c. IV. 12.

V. SCOPVS. *Timotheum* Ephesi relictum sufficienti communi auctoritate, ac ejusmodi eum instruere monitis, quæ ad statum istius ecclesiæ, in doctrina, disciplina ac vita emendandum necessaria erant. c. III. 14. 15. I. 3-7.

VI. SINGVLARIA. (1) Tradit typum boni episcopi s. pastoris, & imaginem ecclesiasticæ gubernationis, s. ordinationem ecclesiasticam vere divinam, institutionem pastorem optimam. (2) Docet, quod illis, qui Christo nomen dederunt, incumbat, ut submisse de se sentiant, & ab aliis præsertim excitatoribus discere cupiant; quod nullus mortalium eam attingat perfectionem, ut non indigeat informatione; & quod ille, qui ad alios instruendos constitutus est, necesse habeat, ut a perfectioribus excitetur. (3) Ostendit differentiam inter mercenarios & veros Dei fervos, & speculum doctoribus est, quod monstrat, utrum suo officio ex divina ordinatione fungantur, an minus?

VII. PARTITIO. Continet capp. VI.

1. Exordium, s. admonitionem generalem ad officium sibi demandatum explendum. c. I.
2. Instructiones varias
 - a) ad constitutionem cœtus publici, ratione precum, cultus & ministerii mulierum. c. II.
 - b) ad

b) ad ordinanda publica ecclesiae officia, c. III-IV. 1-7.

c) ad gubernationem rerum prudentem, 8-V. 1-f.

d) ad constituendam rem domesticam. c. VI. 1-19.

3. Epilogum. c. VI. 20. 21.

VIII. LOCA NOTATA VPRAECIPVE DIGNA.

C. I. 5. 7-10. 13-17. 19. II. 1. 2. 4-6. 8-12. III. 2-7. 9. IV. 1-3. 8. 10. 12. 16. V. 1. 4-6. 17. 20-22. VI. 1. 2. 6-12. 16-20.

IX. LOCA DIFFICILIORA. C. I. 4. 5- (coll. Prov.

XX. 9.) 9. II. 12. (coll. Tit. II. 3.) 14. (coll. Gen. III. 12.)

15. (coll. Joh. III. 16.) III. 4. 6. 7. 13. 15. (coll. 1 Cor. III. 11.)

16. IV. 1. 2. 8. (coll. 2 Tim. III. 12.) 16. (coll. v. 10.) V. 8.

11. 14. (coll. 1 Cor. VII. 7.) 20 (coll. Matth. XVIII. 15.) VI.

MEMBRUM XI.

DE EPISTOLA II. AD TIMOTHEVM.

I. PERSONA, AD QVAM A PAVLO MISSA.

TIMOTHEVS, qui sine dubio adhuc *Ephesi* fuit, nam petit a Timotheo, ut salutet Priscillam, Aquilam & domum Onesiphori, 2 Tim. IV. 19. coll. c. I. 16. 18. Act. XVIII. 2. 3. illumque abducit ab omni consortio cum Hymenæo & Phileto. 2 Tim. II. 16. 17. coll. 1 Tim. I. 20.

II. LOCVS SCRIPTIONIS. Scripta est hæc epistola a Paulo *Rome*, c. I. 16. 17. cum esset in *vinculis*, c. I. 8. 12. 16. II. 9. & quidem *posterioribus*, nam Timotheus & Marcus, quos Paulus in prioribus a latere habuit, Col. I. 1. IV. 10. absentes fuerunt; 2 Tim. IV. 11. & Paulus testatur, se cursum suum consummasse, & suam *αναλυσιν* instare.

III. TEM-

III. **TEMPVS.** Exarata est a Paulo anno ante mortem ejus circiter uno, & proinde anno æræ vulgaris LXVII. vid. *Append. §. XLII.*

IV. **OCCASIO.** Paulus Romæ secunda vice vinculis constrictus, vid. N. II. non tantum de morte sibi instante certus fuit, c. IV. 6-8. 18. sed etiam ab omnibus amicis derelictus; c. I. 15. IV. 10. 11. 16. & propterea Timotheum Romam accersivit, c. I. 4. IV. 9. 21. ut sibi in vinculis ferviret, eundemque de quibusdam necessariis instrueret. Quum autem dubius esset, an ante mortem suam venturus sit, instructionem & admonitionem hac epistola anticipavit.

V. **ARGUMENTVM.** Vide Partitionem.

VI. **SCOPVS.** Timotheum impellere, ut cito Romam adiret, eumque exhortari, consolari & necessariis monitis instruere ratione personæ & officii sui in ecclesia prudenter, sancte & cum auctoritate se gerendi.

VII. **SINGVLARIA.** (1) Est postrema omnium epistolarum Pauli, nam scripsit illam in vinculis posterioribus, & post scriptam epistolam ad Ephesios, siquidem illam per Tychicum misit, Eph. VI. 21. 22. & Timotheum certiolem facit, se Tychicum Ephesum misisse. 2 Tim. IV. 12. Quæcum ita sint, hæc epistola Pauli jam jam morituri cygnea est cantio, & ejus veluti testamentum, quo confirmavit suas priores epistolas & totam doctrinam suam, totque ecclesiarum præclarissimas constitutiones, quapropter quoque in magno pretio est habenda, & id eo magis, cum scripta sit a Paulo jam sene, & tam multis tamque variis experimentis erudito, & quidem non ad tenellum in Christo infantem,

infantem, sed ad valde fidum & exercitatum doctorem ecclesiæ. (2) Testatur de fide Pauli heroica, profunda sapientia, & promptitudine ad mortem pro confessione Christi subeundam, (3) Documento est, censuram, quam Marcus in disceptatione Pauli cum Barnaba accepit, Act. XV. 36. sqq. ipsi salutarem fuisse. 2 Tim IV. 11. coll. Philem. 24. (4) Nomina duorum magorum ex illis, qui Mosi in domo Pharaonis resisterunt, refert. 2 Tim. III. 8.

VIII. PARTITIO. Continet capp. IV.

1. Triplicem adhortationem, nimirum ad fuscitationem donorum, tolerantiam aduersorum, & depositum doctrinæ tuendum. c. I.
2. Monita alia pastoralia, ubi commendatur fortitudo spiritualis, memoria Christi resuscitati, & fuga quæstionum inutilium. c. II.
3. Faciem ultimorum temporum prædictam. c. III.
4. Monita quædam de sedulitate & fidelitate in officio. c. IV.

IX. LOCA NOTATA PRÆCIPVE DIGNA.

C. I. 6-10. 12-14. II. 3-5. 8. 11-13. 15. 19. 22. 24-26. III. 1-7. 12. 15-17. IV. 2. 3. 5. 7. 8. 10. 18.

X. LOCA DIFFICILIORA. C. I. 3. II. 8. (coll. Gen. III. 15.) III. 6. 8. 12. (coll. Ps. XXXIV. 13. sqq., IV. 13. 14.

MEMBRUM XII.

DE EPISTOLA AD TITUM.

- I. PERSONA, AD QVAM A PAVLO MISSA. Illa est TITVS, c. I. 4. quod nomen *honorabilem* denotat. Fuit autem Titus gente græcus, Gal. II. 3. & post

postquam Jesu nomen dedit, assiduus fere Pauli comes, Gal. II. 1. 2 Cor. II. 12. VII. 6. 13. 14. VIII. 23. ab eoque ad diversas ecclesias, præcipue colligendæ stipis causa ablegatus. 2 Cor. VIII. 6. 16. Appellatur a Paulo *κοινωνος καὶ συνεργός*, 2 Cor. VIII. 23. *ἀδελφός*, 2 Cor. II. 12. & *τεκνός γυνήσιος*, Tit. I. 4. ex qua ultima appellatione non sine ratione colligitur, a Paulo fuisse ad fidem perductum. Notatu dignum est, quod Paulus Tito præputium reliquerit, quod saltem jussu suo Timotheo ademptum est, rationem autem hujus facti ipse enarrat. Gal. II. 3-5. Illo tempore, quo Paulus hanc ad Titum dedit epistolam, episcopus fuit ecclesiarum Cretensium, s. earum, quas Paulus in Creta Christo collegit, Tit. I. 5. de qua insula STRABO L. X. p. 731. *In confesso*, inquit, *hoc est, priscis eam temporibus legibus optimis fuisse compositam.* - - *Postea temporis in deterius abiit admodum.* Nostra ætate Candia audit, Turcisque paret. Quo tempore *plantatio* harum ecclesiarum a Paulo peracta sit, non certo constat, probabiliter autem illa collocanda est inter vincula priora & posteriora, quæ Paulus Romæ sustinuit, nam Lucas in Actis insulæ Cretæ a Paulo conversæ nuspiam meminit, non taciturus, qui minora non tacuit. Quum autem Paulus præsens per temporis angustiam non omnia in ordinem redigere potuerit, Titum reliquit, ut ea instauraret. Tit. I. 5. Constitisse has ecclesias non tantum gentilibus, sed etiam *Judeis*, ex c. I. 10. 14. III. 19. liquet.

II. LOCVS, QVO SCRIPTA EST. Quibusdam est *Nicopolis*, in Epiro sita, quod ex c. III. 13. adstruere annuntur, at, si Paulus tunc temporis in hac urbe commoratus fuisset, mentionem *Nicopolis* injiciens, non scripsisset *εκει* ibi, sed *ενταυθα*
hic

hic decrevi hyemem agere. Alii propterea alium constituunt locum. Quibusdam est locus *Nicopoli vicinus*, aliis autem *urbs quædam in Asia minori*, & hi in diversas abeunt partes; quibusdam est *Troas*, aliis *Miletus*, & MILLIO *proleg. in N. T. p. 14. b. Colossæ*. Probabiliter Paulus hanc epistolam scripsit, postquam Colossensem ecclesiam invisit, & priusquam Macedoniam adiit, nam habuit secum Tychicum, c. III. 12. quem sine dubio Colossis invenit, Col. IV. 7. 8. coll. Philem. v. 22. & Tito notum facit, se vel Artemanem vel Tychicum missurum esse, quod probabiliter fecit, dum Philippis in Macedonia commoratus est.

III. TEMPVS. Scripta est a Paulo circiter anno æræ vulgaris LXIV. vide *Append. §. XLII.*

IV. OCCASIO. (1) Nævi in ecclesia Cretensi emendandi, & constitutio presbyterorum a Tito præstanda. c. I. 5. &c. (2) Falsi doctores inter Cretenses degentes, & eosdem corrumpentes c. I. 10-13. III. 9-11. (3) Desiderium Titum Nicopoli videndi, ipsumque coram de variis rebus instruendi. c. III. 12.

V. SCOPVS. Titum instituere, qualem ratione status ecclesiarum Cretensium plenius formandi se gerere deberet, eidemque notum facere, ut post adventum Tychici Nicopolin contenderet.

VI. SINGVLARIA. (1) Continet compendium & nucleum doctrinæ apostolicæ, & est epitome prioris epistolæ ad Timotheum. (2) Ostendit, quod disciplina & rectus ordo in ecclesia ubique, & omni tempore custodiri, pro singularibus autem cœtus cujusdam urbis vel etiam regionis circumstantiis, sæpius rei alicujus major ratio hic quam illic haberi debeat.

VII. PAR-

VII. PARTITIO. Duas epistola potissimum
habet partes, quarum pars

I. agit de doctoribus, c. I.

II. de auditoribus, qui ad pietatem admonentur
variis simul additis argumentis. c. II. III.

VIII. LOCA NOTATA V PRÆCIPVE DIGNA.

C. I. 2. 6-9. 16. II. 2. 4-7. 9-14. III. 1-8. 14.

IX. LOCA DIFFICILIORA. C. I. 1, 15. III. 9.

MEMBRVM XIII.

DE EPISTOLA AD PHILEMO-
NEM.

I. PERSONA, AD QVAM A PAVLO MISSA.
Illa est PHILEMON, v. 1. quod nomen, origine græ-
cum, deosculantem s. amabilem denotat. Fuit au-
tem Philemon sine dubio *civis Colossensis*, nam
Paulus per eundem Onesimum, ad Philemonem
missum, epistolam ad Colossenses misit, & Col.
IV. 9. subindicat, Onesimum Colossensem fuisse,
cum autem servi illo tempore de heri familia fue-
rint, probabiliter Philemonis civitas natalis eadem
fuit, quæ Onesimi, imo Philem. v. 2. salutatur Ar-
chippum, qui Colossis degit. Col. IV. 17. Appel-
latur a Paulo v. 1. *συνεργος*, & ex hac appellatione
conficitur, Philemonem fuisse *unum ex ecclesie
ministris* s. senioribus; an autem *Appia*, cujus
Paulus v. 2. mentionem injicit, uxor Philemonis
fuerit, plane incertum est, nec ex eo demonstrari
posse credo, quod Archippo præponatur.
Quod autem Philemon lauta fuerit sorte, ex v. 2.
& 7. colligitur.

II. Lo-

II. **LOCVS SCRIPTIONIS.** Scripta est a Paulo *Romæ*, cum esset in vinculis, v. 1. 9. 10. 13. 23. & quidem prioribus, siquidem spem adventus sui facit. v. 22. conf. Membr. VII. N. II. p. 314.

III. **TEMPVS.** Exarata est a Paulo eodem tempore, quo epistola ad Colossenses, & proinde anno æræ vulgaris LXII. vid. pag. 314.

IV. **OCCASIO.** Onesimus, qui post commissum furtum, e familia Philemonis se subduxerat, Romamque venerat, per Paulum in vinculis conversus erat, v. 10. quum autem Paulus fugæ causam intellexisset, iussit, ut ad herum rediret, utque eidem facilius reconciliaretur, hanc scripsit *epistolam intercessoriam*, in qua nihil eorum prætermittit, quæ ad impetrandam servo fugitivo & infido veniam, momentum aut vim habere visa sunt.

V. **SCOPIVS.** *Onesimum*, servum fugitivum, jam vero per fidem in Christum omni culpa liberatum, non modo in veterem Philemonis gratiam restituere, verum etiam velut dilectum fratrem commendare. v. 10-12. 16 Ne autem Philemon id coacte faceret, quod ex legibus fidei Christianæ cum Paulo tum Onesimo præstare debebat, v. 14. Paulus, omisso apostoli titulo, v. 1. pro eo, in quo tunc statu erat, v. 1. 9. receptionem Onesimi tantum rogat.

VI. **SINGVLARIA.** (1) Proponit jucundissimum & exquisitissimum dilectionis Christianæ exemplum. (2) Ostendit, res etiam externas ab hominibus Christianis peragi solitas, de fide, caritate, submissione aliisque sanctis virtutibus, quibus interne ornatifunt, testari debere, neque existimandum esse, res ejusmodi externas nihil cum Christianismo commercii habere. (3) Documento est, ad quam minuta Paulus se demiserit, exigente

caritate, & quam spirituali animo atque oratione res hujus etiam seculi tractaverit. (4) Docet, quod admirabilibus sæpe ac prorsus insperatis viarum anfractibus Deus homines ad salutem deducat; v. 10. quod Deus quandoque peccatis hominum ad conversionem illorum utatur; vid N. IV. quod de nemine desperandum sit, etiamsi ad extremum nequitiae gradum devenerit; quod regeneratio ex homine inutili utilem reddat; v. 11. quod cum poenitentibus mansvete agendum sit; v. 16. 18. quod servi, si ad fidem religionemque Christianam accedant, non propterea liberi fiant, v. 15. & quod nobis incumbat, servos invitis dominis etiam Christianis non eripere, sed illos adigere, ut suum expleant officium. v. 13. 14. Quæ cum ita sint, laudanda est benignitas divina, quod ex tot Paulinis epistolis, quæ perierunt, hanc tamen mole exiguam, & de re domestica agentem, superstitem esse voluerit.

VII. PARTITIO. Continentur vers. XXV.

1. Exordium. v. 1-9.
2. Thema. v. 10-12.
3. Confirmatio. v. 12-21.
4. Conclusio. v. 22-25.

VIII. LOCA NOTATA PRÆCIPVE DIGNA.
v. 6. 10-12-14. 16.

MEMBRUM XIV.

DE EPISTOLA AD HEBRÆOS.

- I. SEDES SEV LOCVS IN ORDINE LIBR.
N. T. B. LV THERVS in translatione sua germanica epistolam ad Ebræos omnibus *canonicis Pauli, Petri & Johannis epistolis postposuit.* In can. LIX.
conc.

conc. Laod. in can. XLVII. conc. Carth. III. & in codicibus græcis est inter epistolas Pauli *decima quarta*; fuerunt autem exemplaria, in quibus ordine *decima* fuit, locata ante epistolam ad Timotheum, Titum & Philemonem, teste EPIPHANIO *hæc. XLII. contra Marcionem.*

II. AUCTOR. PAVLVS, ceu liquet (1) ex loco scriptionis, qui est *Italia. c. XIII. 24. coll. Act. XXVIII.* (2) Ex mentione *Timothei* fratris, *c. XIII. 23.* nam Timotheus individuus Pauli comes fuit, vid. Membr. X. N. I. & a Paulo frater appellatur. *Col. I. 1. Theff. III. 2.* (3) Ex convenientia cum reliquis epistolis Pauli. Nam eandem deprehendimus loca V. T. mystice interpretandi rationem. Sermo, ut in reliquis Pauli epistolis, est implexus & involutus. Idem est modus tractandi, *theoreticis enim postponit practica*, s. incipit a mysterio salutis, & pergit ad exhortationes ad studium pietatis. *Continet locutiones s. phrases Pauli characteristicas, c. I. 2. coll. Eph. III. 9. v. 3. coll. Col. I. 14-17. v. 4. coll. Phil. II. 19. c. II. 2. coll. Gal. III. 19. v. 15. coll. Col. I. 20. c. III. 1. coll. Phil. III. 14. . c. III. 6. coll. Rom. V. 2. c. V. 14. coll. 1 Cor. III. 2. v. 14. coll. 1 Cor. II. 6. c. VII. 18. coll. Gal. IV. 9. c. IX. 15. coll. Rom. III. 25. c. X. 1. coll. Col. II. 17. &c.* Auctor *conscientiam* testem appellat. *c. XIII. 18. conf. Act. XXIII. 1. 2. 2 Cor. I. 1. 2. Hebræorum preces implorat. c. XIII. 18. 19. conf. Rom. XV. 30. Eph. VI. 18. 19. Col. IV. 3. 1 Theff. V. 25. 2 Theff. III. 1. Vinculorum tolerantium meminit. c. X. 34. conf. Eph. III. 1. IV. 1 Col. IV. 18. 2 Tim. II. 19. Spem facit adventus sui. c. XIII. 19. 23. coll. Philem. v. 22. Phil. II. 21. *Materia*, de qua agit, est Christus, fides in illum, & legis ceremonialis abrogatio, quam Paulus præ omnibus aliis tractat,*

tractat. Imo *clauditur* eundem in modum, ut reli-
 quæ epistolæ Pauli, nam finitur voto, c. XIII. 20.
 21. & salutatione, v. 24. & additur v. 25. signacu-
 lum Paulo proprium. 2 Theff III. 17. v. P. II. Sect.
 II. C I Membr. IX. N. IV. p. 321. (4) Ex testimonio Petri,
 quod legitur in epistola ejus posteriori c. III. 15.
 (5) Ex consensu Patrum, qui prioribus seculis vi-
 xerunt, nam adscribunt hanc epistolam Paulo ex
 seculo II. JUSTINVS, IRENÆVS, CLEMENS
 Alex. ex seculo III. ORIGENES, CYPRIANVS,
 DIONYSIVS, & AVCTOR CANONVM APO-
 STOLICORVM, ex seculo IV. ARNOBIVS, LA-
 CTANTIUS, MARIUS VICTORINVS Afer,
 EVSEBIUS, ALEXANDER, PATRES *Conc.
 Laod.* ATHANASIVS, CYRILLVS, HILA-
 RIVS, LVCIFER, DIDYMVVS, EPIPHA-
 NIVS, OPTATVS Milevitanus, EPHRÆM
 Syrus, BASILIUS M. GREGORIUS Nyffenus
 & Nazianzenus, AMPHILOCHIVS, GAV-
 DENTIVS, MACARIUS, AMBROSIVS, HIE-
 RONYMVS, PHILASTRIVS & CHROMA-
 TIVS, et ex seculo V. CYRILLVS Alexandri-
 nus, FAVSTINVS, RVFINVS, AVGVSTI-
 NVS, CHRYSOSTOMVS, THEODORE-
 TVS, SEDVLIVS, PHOTIVS, PATRES *Con-
 cilia Carthaginensis III. &c.* vid. SPANHEMIVM
de auctore epistolæ ad Hebræos, & MILLII *Proleg.
 in N. T. p. m. 26.* & N. T. ejus p. 652.

Objicitur quidem, auctorem se profiteri *apostolo-
 rum discipulum*, c. II. 3. dici vero potest, quod
 Paulus *per communicationem* loquatur, respectu
 habito ad auditores & lectores, & hac loquendi
 ratione utitur v. 1. & 3. c. X. 26. 1 Cor. X. 8. 9.
 ut & Jacobus c. III. 9. aut etiam concedi potest,
 Paulum multa, quæ *ad historiam* Christi pertinent,
 ab aliis apostolis accepisse, conf. Act. IX. 28. licet
 ab

ab ipso Christo immediate ad evangelium prædicandum vocatus fuerit. Gal. I. 11. 13. Alii putant, Paulum loqui non de doctrina accepta, sed *confirmata per miracula* apostolorum.

Objicitur quoque *differentia stili*, at hæc non evincit, Paulum non esse auctorem, nam ipsæ epistolæ Pauli, quæ exstant, non eodem fluunt stilo, e. g. I. & II. ad Corinthios & epistola ad Ephesios, & quis nescit, unius ejusdemque hominis stilum variis temporibus varium esse, quod cum ex aliis causis, tum vero præcipue ex argumenti, quod tractatur, varietate accidere solet? Hinc quoque illa, quam deprehendimus in Threnis & prophetia Jeremiæ, diversitas. Immo objicitur, quod hæc epistola *nomen Pauli* ut reliquæ, non præfixum habeat, at quamvis Paulus soleat nomen suum præponere, nusquam tamen illud signum epistolarum suarum facit, sicut clausulam illam 2 Theff III. 17.

II. AUCTORITAS. Illa est *canonica*, nam (1) nullum huic epistolæ auctoritatis canonicæ deest argumentum. (2) A Paulo scripta est vid. N. I. (3) A græca ecclesia semper pro canonica agnita est. vid. P. II. N. IV. p. 187-193.

In ecclesia quidem *latina* quidam auctoritatem canonicam hujus epistolæ in dubium vocarunt, (vid. EVSEBIVM H. E. L. III. c. III.) & quidem propter *stili sermonisque differentiam*, teste HIERONYMO *cat. script. eccles.* T. I. Opp. p. m. 122. & quia putarunt, quod *Novatianis* faveat. c. VI. 4-6. X. 26-29. vid. P. II. N. IV. p. 190. At aliam sententiam *priscæ ecclesiæ Romanæ* inhæsisse, dubio fere caret, nam CLEMENS Romanus, apostolis coævus, *in epistola ad Corinthios* sententias quasdam ad verbum ex hac epistola sumsit, teste EVSEBIO H. E. L. III. c. XXVIII. & versio hujus epistolæ exstat in versione

antiqua Italica & latina, si autem de auctoritate canonica illius Romana antiqua ecclesia dubitasset, aut illam negasset, illi nullum locum in hac versione concessisset. Constat, Novatianos provocasse ad Hebr. VI. 4. sqq. & X. 26 & cum Patres his dictis se premi crediderunt, & hæreses quasdam sub umbra hujus epistolæ latere putarunt, a sententia priscae ecclesiæ discesserunt, nodum quem non solvere potuerunt, secantes. Quanquam autem in ecclesia latina de auctoritate canonica hujus epistolæ dubitatum fuerit, tamen seculo quinto publice pro canonica agnita est, nam *Synodus Carthaginensis III* illam Paulo tribuit, & inter canonicos libros retulit, cui Synodo AVGVSTINVS interfuit.

III. LINGVA AVTHENTICA SEV ORIGINALIS. Scripta est a Paulo lingua non hebraica, sed *græca*, nam (1) Loca V. T. in hac epistola citantur non tam *ex fontibus hebraicis*, quam *versione LXX Interpretum*. c. X. 15. sqq. XI. 21. XII. 6. (2) Auctor *nominis hebraici Melchisedech & Salem interpretatus est*, & transtulit in linguam græcam. (3) *Stilus sapit eloquentiam græcam*, nam elegantissimis græcæ linguæ formulis & paronomasiis abundat, paronomasiæ autem ex alia lingua in aliam, quam interpret adhibet, nunc prorsus non, nunc difficulter transferri imitando possunt. (4) c. IX. 16. 17. tale necit argumentum, quod quidem *ex significatione* *Ἰησους* *δία* *θεους*, at non ex notatione *hebraici verbi* *ברית* fuit. vide quoque Ebr. X. 5. Scripsit quidem Paulus ad Hebræos, inter omnes autem constat, linguam græcam illo tempore Judæis notissimam fuisse, & quis nescit, Jacobum, Petrum & Johannem lingua non hebraica sed græca ad Ebræos scripsisse? Referunt quidem CLEMENS Alexandrinus apud Eusebium H. E. L. VI.

L. VI. c. XIV. THEODORETUS *præfatione commentarii in epistolam ad Hebræos* T. II. p. 179. Paulum ebraice scripsisse, at nullus illorum testatur, textum ebræum a se visum esse, & HIERONYMUS *præfatione in IV. Evangelistas ad Damasum*, T. III. p. m. 21. *De novo. inquit, testamento loquor, quod græcum esse non dubium est, excepto Matthæo.*

IV. OBJECTVM SCRIPTIGNIS. Misit Paulus hanc epistolam ad ecclesiam, quæ illo tempore ex *Judeis* c. I. 1. *Jesu Christo collecta* fuit, c. III. 1. IV. 3. X. 23-25. 31-39. XII. 12. 18-24. & quidem ex *Judeis in Syria, Ponto, Galatia, Cappadocia, Asia & Bithynia* degentibus, ceu patet ex 2 Petr. III. 15. coll. 1 Petr. I. 1. 2 Petr. III. 1. Sunt, qui putant, quod Paulus ad Judæos Hierosolymitanos hanc miserit epistolam, obstat autem allegatum dictum Petri, obstat quoque Ebr. VI. 10. 11. Nam inter omnes constat, res illorum, qui Palæstinam incoluerunt, adeo afflictas fuisse, ut illi, qui extra hanc regionem degerunt, necesse habuerint, inopiam illorum sublevare. Act. XI. 29. Gal. II. 10. Rom. XV. 25. 26. Quod autem ad statum *externum & internum* hujus ecclesiæ attinet, ex ipsa epistola patet, (1) quod gravissimis afflictionibus pressa fuerit, nam permittentibus Romanis præsidibus, Judæi conversos ceu apostatas persecuti sunt, & bonis suis spoliarunt; c. X. 32-34. 36. XIII. 13. & (2) quod plurimi in animum induxerint, Christum deserendo, cultum Leviticum amplecti, c. III. 6. V. 12. VI. 11. X. 23. 25. XII. 1. 12. XIII. 9. procul dubio, quia cultui Levitico a teneris adfueri fuerunt, ob fidem in Christum durissima quæque passi sunt, observantia cultus Levitici severe a Deo mandata fuit, Judæi increduli invicta pertinacia fidei in Jesum restiterunt, & cultus Leviticus adhuc Hierosolymis viguit.

V. **LOCVS**, QVO SCRIPTA EST Exarata est a Paulo, cum *Roma* egressus, in *Italia* commoratus est. c. XIII. 24. 23.

VI. **TEMPVS**. Scripta est a Paulo *post vincula priora*, nam non loquitur de vinculis, tanquam de re adhuc præfenti, sed de jam præterita, c. X. 34. & cuilibet notum est, quod vinculis posterioribus non solutus fuerit; spem quoque facit adventus sui; c. XIII. 23. meminit I. c. Timothei, qui in vinculis posterioribus neutiquam a latere Pauli fuit; & mentionem facit tabernaculi & cultus Levitici, tanquam tunc adhuc subsistentis. VIII. 4. 13. IX. 25. X. 11. XIII. 10. 11. Sane, si Hierosolyma jam vastata fuisset, & exercitium cultus Levitici desisset, Paulus id non præteriturus fuisset, siquidem toties de abrogatione cultus Levitici perorat, c. VIII. 7. 13. IX. 10. X. 1. 9. & scopus ejus fuit, Judæos adversus relapsum ad cultum Leviticum præmunire. c. X. 38. 29. XII. 3. XIII. 9. 13. Quæ cum ita sint, scripta est hæc epistola anno æræ vulgaris LXIII. vid. *Append. §. XLII.*

VII. **OCCASIO**. Ea fuit (1) cognita multorum in cognitione & praxi christianismi infirmitas. c. V. 11. sqq. XII. 5. sqq. (2) Quorundam a Christianismo ad Judaismum inclinatio & defectio. c. III. 8. sqq. IV. 11. VI. 4. sqq. XII. 1. 15. 16. (3) Vehementia afflictionum, quibus premebantur. c. X. 32-36. XIII. 13. (4) Propositum Pauli illos invifendi. c. XIII. 19. 23.

VIII. **ARGUMENTVM**. Paulus demonstrat, *Jesum Christum esse verum Deum, & Messiam promissum*, per summum pontificem totumque cultum Leviticum *adumbratum*, & propterea illum cultum abrogatum, & in Christum firmiter credendum esse,

esse, quibus evictis gravissime ad fidem bonaque opera adhortatur.

IX. SCOPVS. Judæos a cultu Levitico avocatos, ad lapsum vero inclinantes adversus relapsum præmunire, in doctrina de Christo ulterius confirmare, & ad praxin fidei Christianæ, sustinendasque fortiter afflictiones, efficacissimis argumentis excitare.

X. SINGVLARIA. (1) Nusquam sacerdotium & officium Christi tam copiose exponitur & illustratur quam in hac epistola. (2) Est commentarius vocis Dei Patris cælo delapsæ: hic est filius meus, in quo acquiesco, hunc audite. Matth. III. 17. XVII. 5. (3) Libri Levitici clavis est, & facillimam tutissimamque ad libros V. T. explicandos viam nobis commonstrat. (4) Docet, quomodo ex V. T. doctrinæ Christianæ probationem contra Judæos depromere debeamus.

XI. PARTITIO. Continentur capp. XIII.

1. *Didascalico-pædevtica*, qua in parte Paulus ex prærogativa Jesu Christi præ angelis, c. I. II. Mose, c. III-IV. 1-13. & Aarone, c. IV. 14-X. 1-18. necessitatem fidei in Christum, obedientiæ & confessionis demonstrat. c. I-XII-fin.

2. *Parænetica* de officiis Christianorum. c. XIII. Sive

a) Jesu Christi divina & humana natura, officiumque mediatorium evincitur. c. I. II.

b) Fides in Jesum inculcatur. c. III. IV.

c) Leviticum cultum typum Jesu fuisse, & per illum abrogatum esse, demonstratur. c. V-X. 1-18

d) Admonitio gravis ad fidem & bona opera additur. v. 19-XIII. 1-19.

Z 5

e) Con-

e) Conclusio adjicitur. v. 20-fin.

XII. LOCA NOTATV PRÆCIPVE DIGNA.

C. I. 3. 8-10. 14. II. 3. 9. 11. 14. 15. 17. III. 12. 13. IV. 2. 3. 11. 15. 16. V. 7. VI. 18. VII. 21. 25-27. VIII. 10. 11. 12. IX. 9. 14. 24. 26. X. 1. 19. 20. 22. 24-29. 31. 34-36. 38. XI. 1. 3. 6. 24-17. XII. 1. 2. 6. 10. 11. 12-15. 22-24. 28. 29. XIII. 4-9. 13. 15-17. 20. 21.

XIII. LOCA DIFFICILIORA. C. I. 5. (coll. Job.

I. 6. XXXVIII. 7.) II. 14. (coll. Apoc. I. 18.) 15. 16. IV. 12. 13. V. 7. VI. 1. 2. 4-6. 8. VII. 3. VIII. 11. IX. 11. 14. 15. 16. 19. 28. X. 5. 26. 29. XI. 10. 15. 16. 19. 21. 40. XII. 4. 11. (coll. Jac. I. 2.) 17. XIII. 10. 13.

CAPVT II.

DE

EPISTOLIS CATHOLICIS.

I. INDEX EPISTOLARVM CATHOLICARVM
Dicuntur *catholicæ epistola* JACOBI, I. & II. PE-
TRI, I. II. & III. JOHANNIS, & *epistola* JVDÆ
DÆ.

II. ORDO. In constit. Apost. can. *ultimo*, &
apud AVGVSTINVM L. *de fide & operibus* c.
XIV. T. IV. Opp. p. m. 68. epistolæ PETRI
primum obtinent locum, JOHANNEÆ alterum,
epistola JACOBI tertium, & epistola JVDÆ ultim-
um, qui ordo quoque in nostris codicibus ger-
manicis apparet. In CAN. LIX. CONC. LAOD *Jacobi epi-*
stola primo loco posita est, in CAN. autem XLVII.
CONC. CARTH. ultimo loco. In *cod. grecis* epistola
JACOBI antecedit PETRINAS, has excipiunt
JOHANNEÆ, & illas sequitur epistola JVDÆ.
Hunc ordinem etiam habet HIERONYMVS
ep. ad Paulinum. T. III. Opp. p. m. 8. & ex EVSEBII
H.

H. E. L. II. c. XXIII. & CAN. LIX. CONC. LAOD. constat, epistolam JACOBI jam ante Hieronymi ætatem primum tenuisse locum. Forsitan in hac dispositione ratio dignitatis apostolorum istorum a Paulo definitæ Gal. II. 9. habita est.

MEMBRUM I.

DE EPISTOLA JACOBI.

I. AUCTOR. Exaratam esse hanc epistolam a *Jacobo*, constat ex c. I. 1. Habuerunt vero nomen Jacobi duo ex numero apostolorum, quorum alter *Johannis*, filii Zebedæi, alter *Judæ* frater fuit. Matth. X. 2. Luc. VI. 16. (qui ultimus locus in versione B. Lutheri germanica ita corrigendus est, ut legatur: *elegit Jesus Judam, Jacobi fratrem*, ceu patet ex v. 15. coll. Jud. v. 1.) Qui ex his frater *Johannis* fuit, ille *natu major*, qui autem *Judam* habuit fratrem, *natu minor* fuit, & propterea ille *Jacobus major*, & hic *Jacobus minor* dicitur Marc. XV. 40. Cum autem *Jacobus major* anno XIII. post adscensionem Jesu Christi, jussu *Herodis* capite truncatus est, v. App. §. VIII. non ille, sed *Jacobus minor* hanc scripsit epistolam, quam sententiam confirmant *Patres* illi, qui N. III. allegantur. De *Jacobo* autem sequentia observanda veniunt.

1.) *Significatio nominis.* Nomen *Jacobus* a radice קַבֵּץ derivatum, denotat *supplantatorem*. conf. Gen. XXV. 26. XXVII. 36.

2.) *Prosapia.* Pater ejus fuit *Alphæus*, Luc. VI. 15. Matth. X. 3. s. *Klopa* aut *Cleophas*, nam *Alphæus* & *Klopa* est unum atque idem nomen hebrai-

hebraicum, a הלל formatum; Syrus enim interpres αλφαιον constanter הלל appellat, cum autem græcis pronunciatio gutturalis ה difficilior sit, & proinde לו efferant vel per k, e. g. כספ per φασεκ, 2 Par. XXX. 1. vel α adjecta terminatione ος sibi usitatissima, e. g. גי per αγγαιος, Hagg. I. 1. illum, quem Syrus interpres dixit הלל, appellarunt & αλφαιον, & κλωπαν s. κλεοπαν. Matrem autem habuit Mariam, materteram Jesu Christi, s. sororem B. Virginis Mariæ, Joh. XIX. 25. coll. Marc. XV. 40. 47. XVI. 1. Matth. XVII. 56. cui sententiæ quoque HIERONYMVS *catalogo scriptorum ecclesiast.* T. I. Opp. p. m. 170. favet, & fratres ejus fuerunt *Joses, Juda*, qui etiam *Thaddæus & Lebbaeus* vocatur, & *Simon Zelotes*, s. Canæus aut Cannites, Marc. VI. 3. Matth. XIII. 55. coll. Matth. XXVII. 56. Marc. XV. 40. Matth. X. 3. 4. coll. Luc. VI. 15. 16. Quia autem Jacobus propinqua consanguinitatis cognatione Jesu Christo junctus fuit, more non tantum *Judæis* usitato, Gen. XIII. 8. XIV. 14. XXIX. 15. sed etiam *Græcis & Romanis* noto, *frater Jesu Christi* appellatur. Matth. XIII. 55. Marc. VI. 3. Gal. I. 19. *Papias & Hegesippus*, quæ de Jacobo dicta sunt, confirmant.

3.) *Vocatio ad Apostolatum.* Illa legitur Luc. VI. 13. 15.

4.) *Mors.* JOSEPHVS *Antiqv. Jud.* L. XX. c. VIII. p. 697-699. refert, quod Nero post obitum Festi Albinum in Judæam miserit, & quod Pontifex summus Ananus, ante adventum Albini, arrepta occasione αναρχιας concilium con-

congregaverit, & Jacobum, fratrem Jesu lapidari jussit. Quum autem adventus Albini in annum æræ vulgaris LXII incidat, vid EVSEBIVM in *Chron.* p. 161. & *Tabulam nostram chronologicam* p. 219. ex dictis patet, quod illo tempore Jacobus vivis ereptus sit, & hoc suo calculo approbat HIERONYMVS, nam *catalogo scriptorum ecclesiasticorum* T. I. Opp. p. m. 171. *Jacobus*, inquit, *XXX. annos Hierosolymis ecclesiam rexit*, & idem refert EVSEBIVS in *Chron.* p. m. 158. & 160.

5.) *Singularia* (1) Præfuit ecclesiæ Hierosolymitanæ ceu circumcisionis minister, Gal. II. 19. coll. Act. XXI. 18. sqq. & concilio Hierosolymitano, habito anno æræ vulgaris XLVII. vide *Append. §. XXVIII.* Nam ceu præses concilii post habitos aliorum sermones, sententiamque a Petro dictam, postremo omnium conclusivum, quod ajunt, suffragium atque judicium tulit, non sine manifestis auctoritatis, plus quam privati cujusdam, indicis. Act. XV. 13. 19. (2) Magnæ fuit inter apostolos auctoritatis. Gal. II. 9. coll. Act. XV. 13. 19. (3) JOSEPHVS de excidio Hierosolymitano agens, testibus EVSEBIO H. E. L. II. c. XXIII. HIERONYMO *catalogo scriptorum ecclesiasticorum* T. I. Opp. p. 170. & L. I. contra *Jovianum* T. I. p. 33. & *auctore Chron. Alex.* p. m. 585. *Hæc omnia*, inquit, *contigerunt Judæis propter Jacobum Justum, fratrem Jesu, quid dicitur Christus, qui cum esset omnium consensu justissimus, nihilominus a Judæis necatus fuit.* Hæc autem verba in Opp. Josephi reperire non potui. (4) Stilo utitur claro, perspicuo & gravi.

II. INSCRIPTIO. *ιακωβος, θεου και κυριου Ιησου
χριστου δουλος, κ. γ. λ.* Omisit itaque nomen
apo-

apostoli, sine dubio, quia apostolicum ejus munus omnibus notum fuit, & vocat se *servum Jesu Christi*, quia ad evangelii prædicationem a Christo vocatus, & in hac omnem fidelitatem, diligentiam atque constantiam præstiterat. Phrasis desumpta est a familiis magnatum in oriente, qui cum ipsi curam administrandæ familiæ suæ suscipere nollent, in eam rem utebantur opera servorum primariæ notæ. Gen. XXIV. 2. Quod autem hic titulus & omissio apostolici muneris nihil apostolatui ejus derogat, patet ex Phil. I. 1. & I Thess. I. 1.

III. AUCTORITAS. Auctoritatem hujus epistolæ esse *canonicam*, constat ex consideratione auctoris & epistolæ ipsius, ex futilitate objectionum, & ex testimoniis illorum Patrum, qui seculis prioribus vixerunt, nam auctoritatem canonicam hujus epistolæ agnoscunt ex seculo II. CLEMENS Alexandrinus, ex seculo III. TERTULLIANVS, ORIGENES, CYPRIANVS, DIONYSIVS Alex. & AUCTOR *canonum apostolicorum* ex seculo IV. ATHANASIVS, ANTONIVS, CYRILLVS Hierosolymitanus, HILARIUS, DIDYMVS, THEOPHILVS, DIONYSIVS Areopagita, EPIPHANIVS, EPHRÆM, BASILIVS M. GREGORIVS Nazianzenus, MACARIUS, AMBROSIVS, HIERONYMVS, PHILASTRIUS & PATR. CONC. LAOD. & ex seculo V. CHRYSOSTOMVS, RVFINVS, ISIDORVS Pelusiota, CYRILLVS Alex. & PATRES CONC. CARTH. III. & MILEVITANI. vid. LEONH. TWELSI *examen crit. N. T.* apud WOLFFIUM *in curis philol. & crit. Tom. ult.* p. 3. sqq. & MILLII *prol. in N. T.* p. m. 24. b & N. T. p. m. 691. & 692. Quod quidam auctoritatem canonicam hujus epistolæ in dubium vocaverint, & quidem, quod non multi ex veteribus mentionem ejus faciant, liquet ex EVSEBII H. E. L. II. c. XXIII. IV.

IV. ECCLESIA, AD QVAM A JACOBO MISSA.

Scriptit Jacobus in usum *Judeorum dispersorum* versus *Orientem & occidentem*, inter Parthos, Medos, Elamitas, κ. τ. λ. Jac. I. 1. coll. Act. II 5. 9. 10. II. 1 Petr. I. 1. & quidem ad *Christum conversorum*. Jac. I. 2. 3. 4. 18. *Syrus* itaque *interpres* recte addit: *inter gentes sparsi*. conf. Deut. XXX. 4. Neh. I. 9.

V. LOCVS, QVO SCRIPTA EST. Ille probabiliter est *Hierosolyma*. vid N. I. n. 4.

VI. TEMPVS. Latet nos, quo tempore hæc epistola a Jacobo exarata sit, forsitan vero Jacobus illam scripsit *paulo ante mortem suam*, anno æræ vulgaris LX. s. LXI. Nam non agit de morte Jesu Christi & de justificatione, procul dubio, quia hæc doctrina illo tempore jam recepta, immo in abusum s. peccati licentiam versa fuit, conf. c. V. 3. 8. 9. quæ verba sine dubio instans excidium Hierosolymitanum respiciunt.

VII. OCCASIO. Hanc dedit *status Judeorum*, quorum multi (1) in fide sub tyrannide Neronis, c. II. 6. 7. I. 2. 12. V. 10 tepescebant; c. IV. 4. (2) cupiditatibus indulgebant; c. IV. 1. 3. (3) furore se abripi patiebantur; c. III. 14. IV. 2. (4) Deum causam tentationis ad defectionem constituebant; c. I. 13-17. (5) *προσωποληψίαν* exercebant; c. II. 1. sqq. (6) fide, ceu peccati operculo abutebantur, s. fidem quidem jaçtabant, at veros fructus fidei non edebant; c. II. 14. sqq. (7) linguæ frena laxabant, c. I. 26. III. 5. sqq. superbix dediti erant, c. IV. 6. 7. 10. 16. & inique de aliis judicabant; v. 11. 12. (8) per cœlum, terram &c. jurabant. c. V. 12. Quæ mala inde provenerunt, quod putaverint, *persuasionem vanam esse veram fidem, & libertatem*

tatem Christianam ad observantiam legis extenderint, ac in licentiam carnis converterint.

VIII. ARGUMENTVM. Vide Partitionem.

IX. SCOPVS. Judæos ad Christum conversos ad vitæ verò securitatem & evangelii abusum prolapsos, variis monitis de vita sancta instruere, vivam & efficacem fidei indolem urgere, & afflictos consolari.

X. SINGVLARIA. (1) Non agit de fide, qua justificamur coram tribunali divino, s. quæ homini confert remissionem peccatorum, sed fructus hujus fidei urget. (2) Primo intuitu epistolis Paulinis adversari videtur, optime autem concordant, si dicta Pauli & Jacobi pro diverso scopo dijudicantur, nam Paulus agit cum illis, qui ex legis operibus justitiam & salutem consequi studebant, Jacobus vero cum illis, qui fide imaginaria servari cupiebant, s. qui fidem mere historicam pro vera & salvifica venditabant. Qui itaque per bona opera remissionem peccatorum & vitam æternam consequi studet, a Paulo reprehenditur & instituitur, & qui putat, fidem sine bonis operibus subsistere posse, a Jacobo redarguitur & eruditur. (3) Apprime apta & conveniens est ad statum plurimorum, qui Evangelici dicuntur, siquidem illis similes sunt, quibuscum Jacobus agit.

XI. PARTITIO. Jacobus in hac epistola, quæ constat capp V.

1. Adhortatur ad patientiam, v. 1-4. ad preces fiducialiter fundendas, v. 5-8. ad animum submissum, v. 9-11. ad constantiam in patientia, v. 12. ad deponendam falsam illam opinionem, Deum homines tentare ad mala patranda, v. 13-18. ad vitandam iram, v. 19-21. ad verbum Dei

rite audiendum & accipiendum, v. 17-25. & ad frenum lingvæ injiciendum. v. 26. 27.

- 2.) Reprehendit προσωποληψίαν, c. II. 1-13. errorem de fide bonis operibus destituta, v. 14-26. ambitionem illorum, qui munus doctoris anhelarunt, & lingua peccantes, c. III. 1-12. contentiosos & rixoίος, v. 13-18. voluptatibus indulgentes, & Φίλους του κοσμου, c. IV. 1-5. superbos, v. 6-17. & divitiis fretos. c. V. 1-6.
- 3.) Consolatur Judæos fideles afflictos. v. 7-11.
- 4.) Dehortatur a jurejurando illicito, v. 12. instruit adversa fortuna confictantes & ægrotos, v. 13-15. & excitat singulos ad confessionem peccatorum, ad preces pro se invicem fundendas, v. 16-18. & ad convertendos errore lapsos s. apostatas. v. 19. 20.

XII. LOCA NOTATV PRÆCIPVE DIGNA.

C. I. 2. 3. 5-7. 12-15. 17-22. 26. II. 5. 8. 10. 13. 15-17. 19. III. 1. 2. 15. 16. 17. IV. 2-4. 6-9. 15. 17. V. 4. 7. 12. 13. 15. 16. 20.

XIII. LOCA DIFFICILIORA. C. I. 10-25. II. 1. sqq.

(coll. Rom. XIII. 7.) 13. 14. 21. 24. 25. III. 6. 8. 9. 10. IV. 3. (coll. Matth. VII. 8.) 5. V. 3. 6. 14. 20.

MEMBRVM II.

DE EPISTOLA I. PETRI.

I. AVCTOR. Ille est PETRVS, c. I. 1. de quo sequentia observanda veniunt.

- 1.) *Nomen.* Ex circumcissione appellatus est SIMON, quod audientem s. obedientem significat; a Christo vero vocatus est syriace CEPHAS, quod est græce Πέτρος, Joh. I. 42. Marc. III. 16. petramque denotat. Matth. XVI. 18.

- 2.) *Profapia.* Patrem habuit *Jonam*, Judæum in oppido Galilææ, *Bethsaida*, & fratrem *Andream*. Joh. I. 41-45. Quia autem natus fuit patre *Jona*, appellatur *Bar Jona*, Matth. XVI. 17. i. e. *filius Jonæ*. Joh. I. 43. Verosimile autem est, ננן syriace poni pro ננן secundum consuetudinem Syrorum, gutturales e medio elidentium, atque adeo per syncopen poni *Iawa* pro *Iawus*, unde & in codice quodam Msc. Joh. I. 43. *Iawus* legitur.
- 3.) *Vitæ genus.* In juventute piscibus capiendis in mari Galilææ victum quæsit. Matth. IV. 18.
- 4.) *Conversio & vocatio ad apostolatam.* Illa describitur Matth. IV. 18-20. Luc. V. 1-10. & hæc legitur Luc. VI. 13. 14.
- 5.) *Mors.* ORIGENES teste EVSEBIO H. E. L. III. c. I. & HIERONYMVS catalogo scriptorum ecclesiasticorum T. I. Opp. p. m. 169. referunt: Petrum Romæ, capite ad terram verso, cruci affixum esse; & EVSEBIUS in Chronico p. m. 162. perhibet, illud accidisse anno XIV. imperii Neronis.
- 6.) *Singularia.* (1) *Uxorem* habuisse, liquet ex Matth. VIII. 14. sqq. Luc. IV. 38. sqq. 1 Cor. IX. 5. (2) In catalogo apostolorum *primum* tenet locum, Matth. X. 1. 2. Luc. VI. 13. 14. Act. I. 13. sine dubio, quia ætate reliquos anteivit. (3) *Oculatus* fuit *testis* transfigurationis, Matth. XVII. 1. sqq. *luctæ*, Matth. XXVI. 37. *resurrectionis*, Joh. XX. 2. sqq. & *adscensionis* Jesu Christi. Act. I. 2. 9-13. (4) Ante *lapsam* s. *abnegationem* Jesu Christi, ingenii *ferventioris* fuit, & impetu naturali sapissime se *abripi* passus est, post illum vero quam maxime *subactum* & *tranquillum* eum *deprehendimus*.

dimus. (5) Nullus apostolorum tam crebro *humani aliquid* passus est, ac Petrus, & nullius quoque errores & lapsus tam frequenter in sacra scriptura notantur; vid. Matth. XIV. 31. XVI. 22. 23. XIX. 27. Joh. XIII. 8. Matth. XXVI. 33. 34. 35. 40. 51. 52. 69. sqq. Joh. XX. 2-9. Gal II. 11. sqq. quod sine dubio eum in finem factum, ne ei nimium tribueretur, id quod posterioribus seculis futurum esse, Deus prævidit. (5) A Paulo Gal. II. 9. *columna ecclesie* appellatur, conf. P. II. Membr. IV. N. III. & Judæorum præsertim apostolus a Christo constitutus fuit. Gal. II. 7. (6) Primam post effusionem Spiritus Sancti concionem habuit, Act. II. 14. sqq. & primus gentilibus evangelium prædicavit. Act. X. 1. sqq. (7) Veteres referunt, quod in *Ponto, Galatia, Bythinia, Cappadocia & Asia* Judæis dispersis evangelium prædicaverit. vid. *HIERONYMI catalogum scriptorum ecclesiasticorum* T. I. Opp. p. m. 169. (8) Stilo utitur *gravi, venerabili, sublimi, perspicuo, copioso, florido, blando, & coherente artificio* *συναφειας* nexu, qui diversas res, s. diversarum rerum momenta pro cognatione sua ita copulat, ut periodi vix distingvi possint. (9) Habet eam consuetudinem, ut dicta V. T. ad dogmata sua scite applicet, ne quis putet, novi aliquid a se dici.

II. ECCLESIA, AD QVAM A PETRO MISSA.

Scriptit Petrus hanc epistolam in usum *Judæorum, non in patria habitantium, sed per Pontum, Galatiam, Cappadociam, Asiam & Bythiniam dispersorum*, c. I. 1. & *ad Christum conversorum*; c. I. 3. sqq. 21. 23. II. 4-10. &c. quibus quoque evangelium prædicaverat, 2 Petr. I. 12. 13. III. 1. Sunt,

qui putant, quod Petrus non tantum ad Judæos, sed & ad gentiles conversos hanc miserit epistolam, provocantes præcipue ad 1 Petr. IV. 3. At confer 1 Joh. V. 21. Eph. V. 5. Col. III. 5. & 1 & 2 Macc. Nam ex illis libris facile colligitur, Judæos multos, ut regibus gratificarentur, & pericula vitarent, idololatria se polluisse. Conf. quoque 1 Th. II. 15. ubi Paulus ea respicit, quæ a Judæis ante multa secula patrata sunt.

III. LOCUS SCRIPTIONIS. Exarata est a Petro *Babylone* c. V. 12. HIERONYMVS T. V. Opp. p. 147. alique teste EVSEBIO H. E. L. II. c. XV. *Babylonem* hanc improprie sumserunt, & statuerunt, per illam *Romam* intelligendam esse, quorum sententiam Pontificii sequuntur, ut inde evincant, Petrum fuisse Romæ. Quum autem nulla adsit ratio, quæ nos cogat, propriam deferere significationem, & in mysticum descendere sensum, ac scriptoribus non in moribus positum sit, ficto quodam nomine in fine epistolæ, patriam salutantium indicare, non possumus, quin hanc rejiciamus sententiam. Quænam autem *Babylon* intelligenda est, *Chaldaica an Ægyptiaca*, cujus mentionem PTOLOMÆVS L. IV. c. V. p. m. 53. STRABO L. XVII. p. m. 1160. & JOSEPHVS *Antiqv. Jud.* L. II. c. V. p. 65. injiciunt? Probabiliter non illa, sed *hæc*; nam *chaldaica* *Babylon* illo tempore vastata fuit, teste STRABONE, qui L. XVI. p. 1073. *urbis*, inquit, *partem Persæ diruerunt, partem tempus consumpsit, & Macedonum negligentia, præsertim ubi Seleucus Nicanor Seleuciam ad Tigrim condidit.*

VI. TEMPVS. Probabiliter scripta est post priorem romanam captivitatem Pauli, cujus finis incidit in annum æræ vulgaris LXIII. vid. *Append.*

Append. §. XLII. Nam meminit *Silvani & Marci*; 1 Petr. V. 12. 13. *Silvanus* vero, qui & *Silas* in Actis audit, 2 Cor. I. 19. coll. Act. XVIII. 5. ante illam captivitatem perpetuus Pauli fuit comes, conf. Act. XV-XVIII. & *Marcus* in illa Paulo adhæsit. Philem. v. 24. Col. IV. 10. Forsitan itaque hæc epistola scripta est anno æræ vulgaris LXIV. sive LXV.

V. OCCASIO. Impulit Petrum ad scribendum (1) officium illud speciale, quod Christus ipsi demandavit, & cuius fit mentio Gal. II. 7. (2) Status Judæorum afflictus. c. I. 6. 7. IV. 12. 13. 19. V. 9. (3) Corruptio doctrinæ apostolicæ de fide, quasi ea vera esse possit, quamvis destituatur vera pietate, s. studio sanctitatis. 1 Petr. II. 16. 2 Petr. I. 9. II. sqq. (4) Adventus & discessus *Silvani*. 1 Petr. V. 12.

VI. ARGUMENTVM. Petrus hortatur fideles, ut in vera agnitione & fide Christi pro nobis passi, perseverent & crescant, afflictiones patienter tolerant, & bonis operibus singuli in suo statu studeant.

VII. SCOPVS. Judæos in Jesum credentes in fide confirmare, ad dignum gratiæ usum excitare, & afflictos consolari.

VIII. SINGVLARIA. (1) Consolationis ac amoris testificationis plenissima est. (2) Testatur de efficaci Spiritus sancti operatione, qua cor Petri tanta lenitate, mansuetudine, comitate ac commiseratione replevit. (3) Ostendit, quomodo apostoli suorum mentes divino solatio erexerint, ita nimirum, ut easdem ad cœptum Christianismi cursum impigre persequendum simul adhortati sint. c. IV. 19. &c.

IX. PARTITIO. Continet didascalica, pædev-
tica, & paracletica inter se mixta, & præmissio voto
& salutatione c. I 1. 2.

- 1.) Ostenditur, præstantissimam esse gratiam, quæ
nobis in Christo obtigit, addita simul pædia.
c. I.
- 2.) Commendatur incrementum in Christianismo
generaliter & specialiter. c. II. III.
- 3.) Inculcatur tolerantia adverforum. c. IV.
- 4.) Exhibentur monita specialia ratione pastorum,
seniorum & juniorum c. V. 1-6.
- 5.) Adjicitur gravis admonitio, votum & salutatio.
v. 7-fin.

X. LOCA NOTATA PRÆCIPUE DIGNA.
C. I. 3-9. 13-23. II. 2. 3. 5. 6. 9. 11-13. 18. 21-25. III. 1-5. 7. 9.
16. 21. IV. 3-5. 13-16. V. 2-5. 7-9.

XI. LOCA DIFFICILIORA. C. I. 6. II. 8. 13.
(coll. Rom. XIII. 2.) 17. (coll. Pf. XV. 4.) III. 15. 18-20. IV.
1. 6. 7. 8. 17.

MEMBRUM III.

DE EPISTOLA II. PETRI.

I. AVCTOR. SIMON PETRVS; c. I. 1. 16-18.
III. 1. 2. & huic sententiæ adstipulantur *AMPHI-
LOCHIVS*, *GREGORIVS Nazianzenus*, *RV-
FINVS*, aliique.

II. AVCTORITAS. Quod hæc epistola canonica
polleat auctoritate, in dubium vocari nequit Nam
a Petro, apostolo Jesu Christi, scripta, & libris
propheticis & apostolicis analogæ est, nullaque
sufficiens dubitandi ratio reddi potest.

Syri hanc epistolam olim rejecerunt, & propterea
in

in primis editionibus syriacæ versionis non reperitur, & in eadem sunt sententia Syri moderni, quamvis privatim hanc epistolam legant. Non autem Syri tantum, sed & alii auctoritatem canonicam hujus epistolæ in dubium vocarunt, vid. *EVSEBII H. E. L. III. c. III.* & quidem ob stili cum priori dissonantiam, teste *HIERONYMO* in *catalogo scriptorum ecclesiasticorum T. I p. 169.* longe plures vero illam agnoverunt. Nam hanc epistolam tanquam genuinam in canonem receperunt ex seculo II. *CLEMENS Alexandrinus*; ex seculo III. *ORIGENES*, & *ANONYMVS*, qui *CANONES APOSTOLICOS* composuit, ex seculo IV. *ATHANASIVS*, *CYRILLVS Hierosolymitanus*, *HILARIUS*, *EPIPHANIUS*, *GREGORIUS Nazianzenus*, *AMPHILOCHIVS*, *MACARIUS*, *AMBROSIVS*, *HIERONYMVS*, *PHILASTRIUS*, & *PATRES CONCILII LAODICENI*, & ex seculo V. *CYRILLVS Alexandrinus*, *AVGVSTINVS*, *RUFFINVS*, & *PATRES CONCILII CARTHAGINENSIS III. v. MILLE* proleg. in *N. T. p. m. 25. b.* & *N. T. p. 719.* & *TWELSH* *Hexamen criticum N. T.* apud *WOLFIV* *Mincuris* Tom. ult. p. 173. Forsitan non statim de auctore hujus epistolæ constitit, quapropter de ejus auctoritate canonica a quibusdam dubitatum est, & quidem ad ætatem Hieronymi usque, nam post illam in ecclesia græca & latina ab omnibus pro canonica habita est.

III. *ECCLESIA, AD QVAM A PETRO MISSA.*
Est eadem, ad quam prior data est. c. III. i. coll. 1 Petr. I. 1.

IV. *LOCVS, QVO SCRIPTA EST.* Forsitan a Petro eodem loco, quo prior, exarata est, nimirum *Babylone.*

V. **TEMPVS.** Scripta est paulo ante mortem Petri, c. I. 14. & quum illam, si antiquitati credere licet, anno æræ vulgaris LXVIII. subierit, exarata est hæc epistola anno æræ vulgaris LXVI. s. LXVII.

VI. **STILVS.** Is est diversus a stilo in epistola priori adhibito, quod etiam ab HIERONYMO asseritur in epistola ad *Hedibiam* T. III. Opp. p. m. 102. differentia autem neutiquam tanta est, ut alii auctori sit adscribenda hæc epistola, nam in utraque deprehenditur artificiosa breuitas cum summa maiestate conjuncta. Procul dubio differentia materiæ, quam in hac & illa epistola tractat, stilum diversum reddidit.

VII. **OCCASIO.** (1) Mors Petri instans. c. I. 14. 15. (2) Desiderium Petri, ut fideles in fide permanerent & crescerent. c. I. 12. 13. III. 1. 18. (3) Periculum Judæis fidelibus a *pseudoprophetarum* & *empæctarum* corruptelis imminens, quibus jam tum ecclesia pressa fuit, & quorum plures venturi erant. c. II. 1. sqq. III. 3. sqq. (4) Desiderium Petri, consensum suum cum Paulo, de quo quidam dubitarunt, testificandi. 2 Petr. III. 15. coll. Gal. II. 14. 1 Cor. II. 12.

VIII. **ARGVMENTVM.** Vide Partitionem.

IX. **SCOPVS.** Judæos fideles adhortari, ut in fide & virtutibus Christianis crescant, & a falsis prophetis, derisoribus, & hominibus profanis sedulo sibi caveant.

X. **SINGVLARIA.** (1) Cygnea est Petri can-
tio, ardorem spiritus, Christi amorem & pietatis
zelum suavissime spirans. (2) Convenit quodam-
modo cum epistola posteriori ad Timotheum.
(3) Universam vitæ Deo probatæ rationem & or-
dinem

dinem tam perspicue depingit, ut ad tutam & certam animæ ædificationem vix quicquam clarius atque utilius omnibus & singulis commendari possit.

XI. PARTITIO. Continetur capp. III. præmissæ exordio

- 1.) Exhortatio ad constantiam & profectum in fide & studio pietatis. c. I.
- 2.) Prophetia de falsis doctoribus, c. II. & irriforibus adventus Domini, quos reprehendit, addita pia admonitione & voto. c. III.

XII. LOCA NOTATA PRÆCIPVE DIGNA.

C. I. 3-11. 19-21. II. 1. 4. 9. 10. 13. 19. 21. III. 9. 11-13. 18.

XIII. LOCA DIFFICILIORA. C. I. 18. (coll. Matth.

XVII. 5.) II. 5. 11. 19. III. 5. 10. 13. 16.

MEMBRUM IV.

DE EPISTOLA I. JOHANNIS.

I. AUCTOR. Quod hæc epistola a Johanne evangelista & apostolo exarata sit, liquet ex stili cum reliquis scriptis Johannis convenientia summa, & ex testimonio veterum. Nam EVSEBIUS H. E. L. III. c. XXIV. *Inter Johannis scripta, inquit, prior epistola a recentioribus & antiquis omnibus citra controversiam admittitur; & CHRYSOSTOMVS apud COTELERIVM T. III. monum. ecclesiast. græc. p. 148. testatur, omnes una voce profiteri, hanc epistolam Johannis esse.* Inscriptionem autem nominis sui omisit, more sibi solemni, siquidem de se ipso vix uspiam, nisi per circumlocutionem loquitur.

II. ECCLESIA, AD QVAM A JOHANNE MISSA. Scripsit Johannes in usum omnium Christianorum, & præcipue Orientalium, ad Christum converforum. c. II. 7.

III. LOCVS SCRIPTIONIS. Probabiliter a Johanne exarata est *Ephesi*, siquidem ibi præcipue commoratus esse legitur. vid. p. 267.

IV. TEMPVS. Illud est ignotum. Quidam scriptam esse putant ante excidium Hierosolymitanum, alii anno Christi XCI. XCII. & reliqui A. C. XCVIII. s. XCIX. Probabiliter hæc epistola a Johanne exarata est sub finem seculi primi, nam illo tempore, quo scripsit, hæreticorum turbæ in ecclesia jam invaluerant, inprimis eorum, qui Christi divinam naturam negarunt.

V. STILVS. Conscripta est stilo puro, claro, mellifluo, s. melle dulciore, simul tamen gravi, & non raro fulminante, c. I. 6. 10. II. 4. 9. 11. III. 15. planeque singulari. Nam Johannes (1) delectatur multis copulativis, vid. 1 Joh. III. 22-24. in quibus tribus versibus $\kappa\alpha\iota$ septies legitur, repetitionibus, c. I. 8. 10. II. 13. 14. III. 23. periphrasibus, c. I. 1-3. II. 11. explicationibus, c. I. 1. 2. & antithesibus. c. I. 6. 7. II. 9. 10. (2) Subinde loquitur affirmative & negative. c. I. 5. 6. (3) Totus est in demonstratione, quem in finem subinde certa adhibet criteria, e quibus $\tau\omicron$ κρινομενον constare ac cognosci possit, ac sæpius verbo cognoscendi & judicandi cum pronomine demonstrativo $\epsilon\upsilon$ τὸ ω utitur. c. II. 3. III. 19. 24. (4) Conditionalem vocem *si*, & *si non*, crebro usurpat, c. I. 6-10. & quidem non semper conditionaliter, sed quandoque etiam rationaliter. c. II. 15. 19. 29. (5) Habet quædam

quædam *vocabula & phrasès sibi proprias*, aut quibus præ aliis multum utitur; de *Christo ejusque divina natura agens*, adhibet vocem $\gamma\lambda\omega\gamma\varsigma$, *statum peccati* exprimit per *tenebras, mundum, mendacium; &c.* & *statum gratiæ* indicat per *lucem, spiritum, veritatem, ex Deo esse, Deum cognoscere &c.* (6) *Effectum* quandoque pro *causa* ponit. c. V. 3. 4. (7) In *compellationibus* est *blandus, ac paternum* prodit affectum. c. II. 12. 18. 28. IV. 1.

VI. **METHODVS TRACTATIONIS.** Utitur Johannes *methodo aphoristica*, ita ut ponantur *sententiæ primariæ*, eæque plenius declarentur ac illustrentur, & fere tali, qualis *solicitorum patrum* esse solet, cum *dilectissimos filiolos* informant & corrigunt, nam *primaria documenta pietatis* veluti *brevibus summis s aphorismis comprehensa*, proponit; & quæ maxime *necessaria opinatur*, sæpius instillat.

VII. **OCCASIO.** Hanc dederunt (1) *doctrinæ purioris de officio & persona Jesu Christi tentatæ corruptelæ*. c. II. 18. (2) *Doctrinæ veræ præcipue de satisfactione, justificatione & remissione peccatorum abusus*. c. I. 6. II. 3. 4. sqq. Primo tempore, quo apostoli prædicarunt, exponebantur *disputationes de lege*, cum autem hac *ratione cursus evangelii non posset impediri*, diabolus *epicureismum excitavit*, quæ *scena semper luditur*. (3) *Afflictiones piorum*. c. III. 13.

VIII. **ARGVMENTVM.** Exponit Johannes *salutarem doctrinam de Deo & de persona, officio ac beneficiis Jesu Christi, explicat nostrum erga Deum, Christum & homines officium, & tradit notas eximias verorum Dei filiorum & Antichristi.*

IX. SCO PVS. Corruptelas doctrinæ purioris de officio & persona Christi retundere, turpem evangelii abusum reprehendere, fructus fidei, & Christianismi praxin in caritatis officiis urgere, & hac ratione fidei puritatem & vitæ sanctimoniam conjungere ac commendare, piosque afflictos consolari, eosdemque adversus deceptionem Antichristi munire.

X. SINGVLARIA. Est brevis quædam Christianæ doctrinæ epitome, & evangelii a Johanne scripti succinctum enchiridion. (2) Epistola hæc evangelio Johannis, & evangelium huic epistolæ multis in locis plurimum suppeditat lucis, nam in evangelio fidem urget, in hac autem epistola occurrit illis, qui fidem jactant sine operibus, ac docet, opera non deficere, si fides vera adsit, & si deficient, fidem non esse veram, sed falsam. (3) Optime conferri potest cum Proverbiis Salomonis. (4) Varia tradit criteria Deum vere cognoscentium, gratiam s. remissionem peccatorum consecutorum, filiorum Dei & hæredum vitæ æternæ, & propterea aptissima est ad explorationem sui ipsius, s. præ aliis libris N. T. unumquemque erudit de statu animæ suæ. (5) Nulla epistola ardentior est ad commendandam charitatem Christianam.

XI. PARTITIO. Johannes posita thesi, ut fideles de spe vitæ æternæ per gratiam Dei conservanda solliciti essent, excitat illos

- 1.) ad vitandas tenebras, c. I. II. 1-17.
- 2.) ad Antichristos vi unctionis spiritualis probandos, v. 18-29.
- 3.) ad amorem sincerum erga Deum & homines. c. III. IV.
- 4.) ad victoriam per fidem deportandam. c. V.

SIVE:

SIVE: Agitur in hac epistola

- 1.) de modo liberationis a peccato, & signis veræ fidei, c. I. II. 1-17.
- 2.) de fugiendo Antichristo, v. 19-fin.
- 3.) de beatitudine filiorum Dei, eorumque criteriis s. signis, ac falsis prophetis, c. III. IV.
- 4.) de natura, victoria, certitudine, utilitate & efficacia fidei. c. V.

Alii Partitionem hujus epistolæ per *Aphorismos* instituant, quorum XII. constituunt. (1) c. I. 1-4. (2) v. 5-10. (3) c. II. 1-6. (4) v. 7-17. (5) v. 18-29. (6) c. III. 1-24. (7) c. IV. 1-6. (8) v. 7-21. (9) c. V. 1-5. (10) v. 6-13. (11) v. 14-16. (12) v. 17-21.

XII. LOCA NOTATA V PRÆCIPVE DIGNA.

C. I. 5-9. II. 1-3. 6. 12-17. 28. 29. III. 1-5. 8-10. 13-24. IV. 4. 5. 9. 11. 14. 16-20. V. 2-4. 7. 10. 11. 14. 15. 18-20.

XIII. LOCA DIFFICILIORA. C. I. 1. 8. (coll. Joh.

IX. 3.) II. 15. (coll. Joh. III. 16.) 16. 18-20. 21. 27. III. 9. 16. 20. IV. 17. 18. V. 1. 6-8. 16-18. 19. 21.

MEMBRUM V.

DE EPISTOLA II. JOHANNIS.

I. AUCTOR. Nullum est dubium, quin Johannes hanc scripserit epistolam, nam continet stilum, verba & sententias Johanneas, (v. 6. coll. 1 Joh. II. 7. v. 7. coll. 1 Joh. II. 18. & IV. 2.) & ab IRENÆO, CLEMENTE Alexandrino & TERTULLIANO aliisque sine dubitatione Johanni tribuitur. Nomen suum huic epistolæ Johannes non inscripsit, ob rationem Membr. IV. N. I. allatam, & quia electæ dominæ satis cognitus fuit. Presbyterum autem se appellat, sine dubio respectu ætatis, nam illo

illo tempore, quo hanc scripsit epistolam, nonagenarius & apostolis reliquis omnibus superstes fuit, forsitan quoque sub ingravescentem senectutem senioris nomine honorifice a Christianis appellatus est.

II. AUCTORITAS. Quum hæc epistola a Johanne, viro *θεοπνευστω* scripta sit, vide N. I. constat, illi auctoritatem *canonicam* tribuendam esse. Quia epistola hæc perbrevis, & uni tantum personæ aut familiæ inscripta est, & propterea non statim in omnium notitiam pervenit, nomenque presbyteri forsitan quosdam aliquamdiu suspensos tenuit, auctoritas canonica illius a quibusdam in dubium vocata est, vid. *EVSEBII Hist. Eccl. L. III. c. XXV.* quapropter quoque in primis editionibus versionis *syriacæ* N. T. omissa est, at illi Patres, quorum auctoritas & critica ingenii vis fuit summa, nunquam de illa dubitarunt, nam in numerum canonicorum librorum epistolam hanc referunt *IRENÆVS, CLEMENS Alexandrinus, TERTULLIANVS, CYPRIANVS, ORIGENES, ATHANASIVS junior, CYRILLVS, DIDYMVS, AMBROSIVS, HIERONYMVS, AVCTOR CONSTIT. APOST. CHRYSOSTOMVS, & PATRES CONC. LAOD. & CARTH. III. v. CALOVII Biblia illustrata & MILLII proleg. in N. T. p. m. 26. b. & N. T. p. m. 749.*

III. LOCUS SCRIPTIONIS. Probabiliter *Ephesi* consignata est. vid. p. 356.

IV. TEMPVS. Forsitan paulo post primam epistolam exarata est, nam maxima est inter illam & hanc epistolam convenientia. vid. v. 5. coll. 1 Joh. II. 7. v. 7. coll. 1 Joh. II. 22. IV. 2.

V. PERSONA, AD QVAM MISSA. Illa fuit *matrona* quædam, quæ a Johanne v. 1. vocatur *εκλεκτη*, quia ad Christum conversa fuit, v. 2. 8. & Christiani illo tempore *εκλεκτοι* appellati sunt, Rom. XVI. 13. Col. III. 12. 2 Tim. II. 10. 1 Petr. I. 1. & *κυρια*, vel quia illustri genere nata fuit, vel ob famulitium ipsi subiectum, aut conjugium cum quodam magnate. Clarissimus *HEVMANNVS* putat, quod nomen hujus matronæ *Cyria* fuerit, ad quam sententiam stabiliendam in *Poec.* quosdam affert, quibus nomen *κυριας* & *Cyriæ* hæsit, & provocat ad Rom. XVI. 13. Meminit illius sententiæ ante *Heumannum GOMARVS* in opp. p. m. 739. qui etiam refert, quod *Martyrologia* quasdam *Dominas* nominatim referant.

VI. OCCASIO. Vide v. 4. & 7.

VII. SCOPVS. Matronam quandam illiusque filios ad continuandum Christianismi cursum s. ad mutuam caritatem & veritatem, quæ in Jesu est, adhortari, & adversus pseudo-didascalos præmunire. v. 5. 7. 8. 10.

VIII. PARTITIO. Continetur vers. 13.

1. Exordium. v. 1-4.

2. Tractatio, ubi

a) admonitio, v. 5. 6.

b) præmonitio adversus falsos doctores. v. 7-

II.

3. Conclusio. v. 12. 13.

IX. LOCA NOTATA PRÆCIPVE DIGNA.

v. 4. 6. 8.

X. LOCA DIFFICILIORA. v. 10. 11.

MEM-

MEMBRUM VI.

DE EPISTOLA III. JOHANNIS.

I. AUCTOR ET AUCTORITAS. Scripta est hæc epistola a *Johanne*, & propterea auctoritate *canonica* gaudet. conf. quæ dicta sunt Membr. IV. N. I. & II.

II. PERSONA, AD QUAM MISSA. Illa est *Gajus* s. *Cajus*. v. 1. In Scriptura sacra fit mentio *Gaji Macedonici*, Act. XIX. 29. *Derbensis*, Act. XX. 4. & *Corinthii*; 1 Cor. I. 14. Rom. XVI. 23. & ad hunc Corinthium *Gajum* missam esse hanc epistolam, putant nonnulli, quod ex 3 Joh. v. 5. 6. coll. Rom. XVI. 23. probare adnituntur. Aliis autem est alius, siquidem *Corinthius* a Paulo ad fidem in Christum perductus sit, 1 Cor. I. 14. & *Johannes* illum, cui hanc epistolam inscripsit, *filium suum* v. 4. appellet, & propterea verosimile sit, eum a *Johanne* conversum esse; sunt autem, quibus hæc appellatio tantum amoris argumentum est, provocantes ad 1 Joh. II. 12. 18. 28. III. 18.

III. LOCUS ET TEMPUS SCRIPTIONIS. Vide, quæ dicta sunt Membro præcedenti p 360. N. III. & IV.

IV. OCCASIO. Hanc dedit (1) *Gaji* integritas in Christianismo, & hospitalitas. v. 3. 5. (1) *Diotrephis* importunitas. v. 9.

V. SCOPVS. *Gajum* in bono confirmare, & ad beneficentiam erga fideles continuandam exhortari, importunitatem scandalumque *Diotrephis* mitigare, & *Demetrium* ipsi commendare.

VI. SINGVLARIA. (1) Convincit nos, apostolorum ætate litteras syftaticas s. commendatitias in usu fuisse, quibus eos instruxerunt, qui in pietatis studio sinceros se præstiterant, quo ipso apostoli & primi Christiani multa pericula & confusiones anteverterunt. (2) Testatur de hospitalitate primorum Christianorum, quam quidem admodum caute & circumspecte, erga sinceros autem atque probatos amantissime ac liberalissime exercuerunt.

VII. PARTITIO. Comprehenditur vers. XV.

1. Exordium. v. 1. 2.

2. Tractatio, ubi

a) Elogia Gaji. v. 3-8.

b) Correptio Diotrephis. v. 9-11.

c) Commendatio Demetrii. v. 12.

3. Conclusio. v. 13-15.

VIII. LOCVS NOTATV PRÆCIPVE DIGNVS.
v. 4.

IX. LOCA DIFFICILIORA. v. 6. 12.

MEMBRVM VII.

DE EPISTOLA JVDÆ.

I. AVCTOR. Scripta est hæc epistola a JVDA, c. I. I. ebraice יהודה quod *confessorem* denotat. Gen XXIX. 35. Appellatus quoque est THAD-DÆVS & LEBBÆVS, Matth. X. 3. coll Luc VI. 15. quorum primum nomen, a יהודה deductum, ejusdem notionis cum Juda est, & alterum a לב derivatum, *cordatum* significat. Procul dubio ultimum nomen ipsi inditum est, ut distingveretur a

B B

Juda

Juda Ischariote, proditore Jesu Christi. Patrem habuit Alphæum, & fratres Jacobum minorem, qui nobis epistolam reliquit, Josem & Simonem Cananæum. vid. Membr. I. N. I. p. 341. A Christo constitutus est apostolus. Luc. VI. 13. 16. Quia matertera Jesu Christi natus fuit, frater Jesu Christi dicitur. vid. Membr. VI. N. I. p. 341. Johannes refert, Ev. c. XIV. 22. quendam quæstionem, quam Jesu proposuit, & præterea nihil de illo in historia Ev. relatum legimus. In Ægypto, Syria, Arabia, Mesopotamia, Ponto & Perside docuisse dicitur. Muneris apostolici non meminit, æque ut Jacobus, & sine dubio eandem ob causam, & appellat se non filium Alphæi, sed fratrem Jacobi, quia nomen Jacobi in summa fuit existimatione, & forsitan alii Alphæi fuere. conf. Marc. II. 14.

II. AUCTORITAS. Quod auctoritate canonica polleat, liquet ex consideratione auctoris epistolæque, & futilitate objectionum. Negari nequit, quosdam auctoritatem canonicam hujus epistolæ in dubium vocasse & negasse, & quidem, quia non a multis veterum allegatur, v. EVSEBII H. E. L. II. c. XXIII. forsitan quoque ob vaticinium Enochii allatum, quod & HIERONYMVS in *catal. script. eccl. T. I. Opp. p. m. 172.* innuit, longe plures autem illam asseruerunt, nam agnoscunt auctoritatem canonicam hujus epistolæ ex seculo II. *Clemens Alexandrinus*, ex seculo III. *Tertullianus*, *Origenes*, *Cyprianus*, & qui *canones Apostolicos* composuit, ex seculo IV. *Athanasius*, *Cyrillus Hierosolymitanus*, *Lucifer*, *Didymus*, *Dionysius Areopagita*, *Epiphanius*, *Ephrem*, *Gregorius Nazianzenus*, *Ambrosius*, *Hieronymus*, *Philastrius*, & *Patres concilii Laodicensi*, & ex seculo V. *Cyrillus Alexandrinus*, *Rufinus*, *Augustinus*, & *Patres concilii Car-*

Carthaginensis III., vid. *MILLII proleg. in N. T.* p. m. 25. & *N. T.* 754. & *LEON. TWELSHI vind. epistolæ hujus in curis Wolfii T. ult.* p. 338. sqq.

III. **ECCLESIA, AD QVAM A JVDA MISSA.** Scripsit Judas hanc epistolam ad ecclesiam universalem, præcipue vero *Orientelem*, quam evangelii luce collustraverat. v. 1.

IV. **LOCVS SCRIPTIONIS.** Non constat, quo loco exarata est.

V. **TEMPVS.** Quibusdam est A. C. LX. aliis LXIV. aliis LXVIII. aliis LXX. & reliquis XC. Nullum est dubium, quin Judas hanc epistolam scripserit *postrema* apostolorum ætate, v. 17. & post scriptam a *Petro epistolam posteriorem*, nam quædam ex illa ad verbum repetit & interpretatur, vid. v. 6. coll. 2 Petr. II. 4. v. 8. coll. 2 Petr. II. 20. 21. v. 10. coll. 2 Petr. II. 12. v. 12. coll. 2 Petr. II. 13. & quos Petrus futuros prædixit, illos Judas tanquam præsentis describit. 2 Petr. III. 3. coll. Jud. v. 18. 4. Forsitan itaque hæc epistola a Juda exarata est anno æræ vulgaris LXX. s. LXXI.

VI. **OCCASIO.** Hanc dederunt homines gratiam Dei ad peccandi licentiam traducentes, s. obtentu libertatis Christianæ vitam impurissimam, turpissimam & sceleratissimam agentes, & exemplo suo doctrinæ & vitæ puritatem corrumpentes. v. 4. 7. 8. 10-13. 16. 18. 19.

VII. **SCOPVS.** Dictis doctrinæ & vitæ corruptoribus obviam ire, fideles in doctrinæ integritate confirmare, & ad vitam sanctam illos excitare.

VIII. **SINGVLARIA.** Scripta est stilo *medio* s. nec nimis alto neque nimis simplici, *perspicuo, conciso, profundo, & tanto aculeorum apparatu ador-*

nato, ut divinus mentis fervor ubique eluceat. (2) Posteriori epistolæ Petri accurate consonat, f. argumentum utriusque epistolæ coincidit. (3) Meminit vaticinii *Enochi*, quod in libris V. T. non exstat; retulit autem Judas illud vel ex Judæorum libris, vel ex traditione per *θεοπνευσιαυ* confirmata. (4) Documento est, apostolos æque sollicitos fuisse de puritate doctrinæ, ac de sanctimonia vitæ. (5) Sequitur epistolas reliquorum apostolorum, & antecedit Apocalypsin Johannis, & quidem optimo jure.

IX. PARTITIO. Post inscriptionem & salutationem v. 1. 2. apostolus Judas

I. Indicat scopum sibi præfixum, qui est, ut fideles certent super fide semel tradita. v. 3.

II. Necessitatem hujus certaminis exponit, quæ desumpta est a seductoribus, quos

1.) indicat, v. 4.

2.) pœnam illos manentem refert & demonstrat, v. 5-7.

3.) graphice illos describit, f. vitam illorum pessimam fidelibus ob oculos ponit, v. 8-13.

4.) pœnam illorum futuram ex vaticinio *Enochi* probat, v. 13-16.

5.) prædictionem ab apostolis factam fidelibus in memoriam revocat, v. 17-19.

III. In Christum credentes adhortatur ad perseverantiam in fide, caritate & precibus, emendationem aliorum, & impuritatis fugam. v. 20-23.

IV. Addit conclusionem, continentem doxologiam. v. 23. 24.

X. LOCA NOTATA PRÆCIPVE DIGNA.

v. 4. 6. 15. 19. 20. 21. 24. 25.

XI. LOCA DIFFICILIORA. v. 8. 9. 12. 14. 23.

SECTIO III.

DE LIBRO PROPHETICO,

SIVE

DE APOCALYPSI JOHANNIS.

I. SEDES. *Ultimum tenet locum*, & quidem merito, nam post reliquos libros N. T. scripta est, neque ad evangelia, neque ad epistolas apostolorum commode referri potest, & futura & proxime diem extremum antecedentia fata ecclesiæ enarrat.

II. AVCTOR. Scripta est apocalypsis a JOHANNNE, c. I. 1. 4. 9. XII. 2. XXII. 8. & quidem evangelista & apostolo, nam (1) auctor ante scriptam apocalypsin historiam de Jesu edidit. c. I. 2. coll. Joh. XXI. 24. (2) Scripsit ea de Jesu Christo, quæ ipse vidit & audivit. I. c. coll. 1 Joh. I. 1-3. (3) In insula Patmo fuit propter testimonium de Jesu, c. I. 9. veteres autem non alium Johannem, quam evangelistam in Patmum relegatum sciunt. (4) Stilus reliquis Johannis scriptis simillimus est, vide Apoc. c. XIX. 13. coll. Evang. I. 14. 1 Joh. I. 1. Apoc. c. V. 12. & VII. 17. coll. Ev. I. 29. 36. Apoc. I. 2. 9. coll. Ev. XXI. 24. Ap. I. 3. coll. Ev. XIV. 21. 1 Joh. II. 4. Ap. c. I. 5. coll. 1 Joh. I. 7. Ap. II. 17. coll. Ev. VI. 49. &c. & si quæ datur *discrepantia*, illius causa est, quod propheticum di-

cendi genus differat ab historico, & quod Johannes potius ea verba, quæ in visionibus audivit, consignare, quam sibi dicta suo sermonis genere contexere voluerit. Accedit (5.) testimonium primitivæ ecclesiæ, nam tribuunt apocalypsin Johanni ex seculo II. Papias, Justinus, Melito, Irenæus & Clemens Alexandrinus; ex seculo III. Tertullianus, Origenes & Victorinus; ex seculo IV. Eusebius, Hilarius, Prudentius, Epiphanius, Basilius M. Gregorius Nazianzenus, Macarius, Ambrosius, Philastrius; & ex seculo V. Chrysostomus, Rufinus, Patres concilii Carthaginensis III. aliique, vide LEONARDI TWELSI vindiciæ apocalypseos, quæ exstant in WOLFII Curis Phil. & Crit. in epp. cath. & apocal. p. 387.

III. INSCRIPTIO JOHANNEA. Illa est *Ἀποκάλυψις Ἰησοῦ χριστοῦ*. c. I. i. i. e. *Revelatio facta per JESVM CHRISTVM*, quæ appellatio huic libro summo convenit jure, nam Johannes tradit in illo ea, quæ Jesus ipsi revelavit de statu, periculis & liberationibus ecclesiarum illius & futuri temporis. Intelligenda autem est ea revelatio, quæ fit per visionem, s. homini in *ἐκστασι* raptò extra ordinem singulari gratia Jesu Christi obtingit; c. I. 10. 17. IV. 1. 2. V. 2. &c. & hujus significationis *ἀποκάλυψις* est Paulo 2 Cor. XII. 1-7.

IV. INSCRIPTIO EXTRA CONTEXTVM POSITA. Hæc ne utiquam a Johanne profecta est; nam (1) alias hic liber duplicem haberet inscriptionem, (2) inscriptio non eadem est in codicibus græcis & versionibus, & (3) THEOLOGI nomen nunquam Johanni a doctoribus trium primorum a Christo nato seculorum tribuitur, etiã ubi apocalypsin ad partes vocant.

vocant. Addita itaque est hæc inscriptio a quodam circiter seculo IV. qui Johannem THEOLOGUM nomine insignivit, vel, quia præ reliquis scriptoribus sacris divinam naturam servatoris admodum luculenter adseruit, vel, quia futura ecclesiæ fata ut propheta prædixit, c. XXII. 7. 8. 18. 19. nam prophetæ Theologi appellati sunt. v. *WOLFII cur. philol. & crit. in Apocal. p. 369. sqq.*

V. AUCTORITAS. Gaudet auctoritate *canonica*. Nam a Johanne, viro *θεοπνευστω*, consignata est; nullus quoque N. T. liber firmius ecclesiæ testimonium, quam hæc apocalypsis, ostendere potest, siquidem auctoritatem canon. illius agnoverunt, præter illos, quos N. II. refert, ex seculo II. *Theophilus*; ex seculo III. *Methodius & Nepos*; ex seculo IV. *Athanasius, Didymus, Dionysius Areopagita, Ephrem, Pacatianus, Gregorius Nyssenus, Hieronymus*, & ex seculo V. *Patres latini omnes*, & ex græcis *Isidorus Pelusiota, Nilus, Cyrillus Alexandrinus, & Job. Cassianus*. conf. *TWELSII vind. Apocal. & MILLII Proleg. in N. T. p. m. 27. & N. T. p. 758-763.*

Primus omnium, qui auctoritatem canonicam hujus libri in dubium vocavit, fuit *Cajus*, ecclesiæ Romanæ presbyter. *MILLIUS proleg. in N. T. p. m. 19. b. Cajus*, inquit, *omnium primus odio Cataphrygum, qui in sue de millennio in voluptatibus ac deliciis carnalibus hic transigendo, sententiæ præsidium ex Apocalypsi loca solebant allegare, cum citata ab illis verba debuisset in sensum spirituales interpretari, eo ductus est, ut in disputatione contra Proclum istorum hæreticorum principem, ipsius libri auctoritatem rejiceret, ac a Cerintho scriptum diceret sub apostoli Johannis nomine.* Et hunc Cajum deinde

ut fieri solet, alii secuti sunt. vid. EVSEBII H. E. L. III. c. XXV.

Quod autem quidam de auctoritate canonica apocalypseos dubitaverint, inde accidit, (1) quia diu in paucorum fuit manibus, non addita codicibus in vulgus datis, probabiliter ne fata illa contenta gentibus divulgarentur; & (2) quia nonnulli putarunt, quod faveat erroribus Cerinthi, imo quod Cerinthum auctorem habeat. vid. EVSEBII H. E. L. VII. c. XXV.

VI. LOCUS, QVO SCRIPTA EST. Ille testibus IRENÆO L. V. *adv. hæres.* c. XXX. p. m. 449. EVSEBIO in *Chron.* p. m. 164. ATHANASIO juniore in *Synopsi* S. S. Opp. Athanasii sen. p. m. 152. aliisque est *insula Patmus*, in quam relegatus fuit Johannes. vid. P. II. Sect. I. Cap. I. Membr. IV. N. III. p. 267. Sunt autem, qui testimonio Johannis, Apoc. I. 9. innixi, asserunt, Johannem scripsisse apocalypsin Ephesi post reditum ex Patmo.

VII. TEMPUS. Si Johannes in *Patmo* apocalypsin scripsit, exarata est anno æræ vulgaris XCVI. vid. *Tab. Chron.* p. 221. *sin Ephesi*, post reditum ex Patmo, anno æræ vulgaris XCVII. aut XCVIII.

VIII. OCCASIO. Hanc dedit (1) mandatum divinum de conscribendis revelationibus, c. I. 11. 19. XIV. 13. & (2) desiderium credentibus in Christum fata ecclesiæ futura exponere.

IX. SCOPUS. Revelatione a Christo facta ecclesiæ militanti aperire, quæ ipsam expectent fata, usque ad adventum Domini, & quæ ad illius adventum hunc conditio & fors esse debeat, & quid in illo sperare possit; pios sub futuris calamitatibus
fati-

fatifcentes erigere, & de falutari exitu perfecutionum fecuros reddere, ac regnum Antichrifticum vivis coloribus depingere, ejusque, & omnium ecclefie hoftium interitum, ecclefie vero triumphos indicare.

X. SINGVLARIA. (1) Est liber N.T. propheticus, ejusdemque figillum, ut prophetia Malachie V. T. (2) Continet ea, quæ Chriftus Johanni per visiones revelavit, & est clavis librorum propheticorum. (3) Ob prophetias, quas continet, & quæ plerumque ante impletionem subobfcuræ funt, intellectu difficilis est, funt tamen multa per univerfum librum fparfa clariffime dicta. (4) Plurimum utilitatis & folatii in omnibus certaminibus contra Satanam, mundum & peccatum habet, est quoque refpectu papatus perutilis. Quæ cum ita fint, hic liber fedulo est evolvendus & fcrutandus. conf. c. I. 3. XIII. 9. 18. XXII. 7.

XI. PARTITIO. Post exordium, c. I. 1-9. defcribuntur VII. visiones

1. de VII. epiftolis, v. 10-III. 1-fin.

2. de VII. fignaculis, c. IV-VIII. 1.

3. de VII. angelis, & VII. tubis, c. VIII-XI.

4. de dracone, muliere, miraculofis animalibus, tribus angelis, & ultima mundi melle, c. XII-XIV.

5. de VII. plagis, & judicio Babylonicæ meretricis, c. XV-XIX.

6. de dracone magno, Gog & Magog, & judicio extremo, c. XX.

7. de cœlesti Hierosolyma. c. XXI. XXII.

XII. LOCA NOTATAV PRÆCIPVE DIGNA.

C. I. 5. 6. 8. 18. II. 4. 5. 7. 19. III. 1. 4. 11. 15-21. IV. 11. V. 5. VI. 16. 17. VII. 14-17. IX. 20. 21. XII. 7-11. XIV. 1. 3-5. 10. 11. 15. XVI. 15. XIX. 7-10. XX. 11-15. XXI. 1-8. 27. XXII. 12. 15. 17. 20.

XIII. LOCA DIFFICILIORA.

C. I. 1-4. 7. II. 2. (coll. 2 Tim. II. 21.) 6. 7. 10. 11. 17. 20. 26-28. III. 5. 12. IV. 4. sgg. V. 6. 10. VI-XXII. 1-5. 11. 20.

